



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

Capvt Secvndvm. De Præsentatione ipsa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

amittitur. *c. quia Clerici, h. tit.* Card. de Luca, in *summ. juris patron. num. 135.* Lott. *num. 17.* citans Paul. de *Citad. de jurepatr. p. 9. num. 11.* Roch. *v. ipse, v. is. num. 54.* Pirh. *cit. num. 138.* eo privandum ait.

10. Decimò : jure novo Trid. *sess. 22. c. 11.* per hoc, quòd patronus se ingerat in perceptionem fructuum beneficii patronati, aut ipsius bona usurpavit, ipso jure privatur patronatu, & incurrit excommunicationem reservatam. Card. de Luca *cit. num. 135.* Barb. *num. 162.* citans Vivian. *cit. l. 15. c. 2. num. 13.* Franc. Leon. in *thes. fori Eccles. p. 2. c. 21. num. 31.* semper tamen cum hac limitatione (quod observandum circa casum subsequenter, & plures ex antecedentibus, nimirum quintum, sextum, septimum, octavum, nonum; ut bene monet Card. de Luca. *loc. cit. num. 134. & 135.*) ut patronatus amittatur in præjudicium tantum hæredum, & successorum; quibus ipse delinquens præjudicare potest; non verò venientium independentem & jure suo; in quorum præjudicium expressam alienationem, vel remissionem facere non possit.

11. Undecimò per hoc, quòd patronus ingratius sit Ecclesiæ, juxta Surdum *de aliment. tit. 7. q. 32. num. 9. & q. 38. num. 2.* Vivian. *loc. cit. n. 4.* apud Barb. *num. 261.*

12. Denique amittitur, & Ecclesia evadit libera per non usum longissimi, vel etiam longi temporis; dum nimirum patronus, cessante impedimento, nullum rectorem præsentavit ad Ecclesiam

vacantem; & interea, saltem duabus vicibus, rector fuit institutus sine præsentatione. Pirh. *loc. cit. ex Barb. num. 257.* Verum id intelligendum de jure patronatus competente ex mero privilegio, censet Lott. *sup. cit. num. 36.* citans Puteum *h. tit. decis. 7.* & Mohedam. *eodem tit. decis. 10.* Item *l. 2. q. 7. num. 22. & seq.* citans Felin. in *c. cum accessissent; de constitut. n. 2.* Decian. *vol. 2. conf. 2. n. 125.* & alios adductos per Surdum *cons. 419. n. 5.* Si verò est de jure communi, nunquam amitti per talem non usum, ait Lott. *cit. q. 5. n. 25.* ex Puteo. *decis. 369.* eò quòd facilius perdatur privilegium merum, quàm privilegium clausum in corpore juris; quòd reputatur jus commune, juxta *l. ejus militis, ff. de testam. milit.* quapropter etiam videtur potius hoc jus patronatus conservatum in præsumptâ voluntate conferentis beneficium. Lott. *ibidem. num. 26.* citans seipsum *l. 1. q. 34. n. 62.* ubi, quòd, si Episcopus contulerit beneficium non factâ mentione juris patronatus, non censetur mutatus status, nec interturbata possessio patroni; sumitur enim interpretatio, quòd contulerit, si patrono placuerit; & ita Veral. *decis. 189. num. 2. p. 3.* Porro notat Laym. in *c. sicut. de suppl. negl. praelat. in 6.* jus præsentandi amissum, vel potius devolutum ad superiorem, ob non factam præsentationem intra tempus, factâ unicâ collatione, etiam sine effectu, recuperari à Patrono; citatque pro hoc Azor.

* * *

CAPUT SECUNDUM. DE PRÆSENTATIONE IPSA.

PARAGRAPHVS I.

De effectu & modo præsentationis faciendæ & admit- tendæ.

Questio 121. Quale jus præsentato conferat præsentatio?

1.  Espondeo primò: confert illi jus ad beneficium, ut dictum supra.
2. Respondeo secundò: jus illud, quòd quæritur præsentato resolvitur in simplicissimam habilitatem personæ ad obtinendam

institutionem, Lott. *l. 2. q. 9. num. 20.* citans Azor. *p. 2. l. 6. c. 19. q. 2.* unde in effectu non censetur ei jus aliud quæsitum, quàm ut possit agere pro ipsâ institutione. Lott. *l. 2. q. 13. num. 14.* citans Abb. in *c. cum Berthol. num. 12. de sent. & rejudicac.* estque ante institutionem minimè perfectum; sed subiacet periculo, ne patronus variet accumulando. Lott. *ibid.* qui etiam *l. 2. q. 20. n. 33. & 35.* quòd licet præsentatus instans pro institutione non habeat adhuc jus in re perfectè quæsitum, sed tantum jus ad rem, & hinc petere non potest beneficium

tanquam suum, sed tanquam sibi debitum; nihilominus, dum jus illud ad rem profectur, dirigit actionem non in personam, ad qualem duntaxat is dirigit, qui habet nudum mandatum de providendo; sed etiam dirigit in rem; ut res ipsa, id est, beneficium sibi tradatur.

Questio 122. Quid requiratur, ut præsentatio tribuat ipsum jus?

1. **R**espondeo primò: debet à præsentato esse acceptata; seu præsentatus consensisse in præsentationem sui (intellige intra terminum concessum patrono ad præsentandum. Lott. *l. 2. q. 6. num. 38.*) Zerol. in *pr. Episc. p. 1. v. jus ad rem, n. 2.* citans Gomez. *q. 23. in reg. de triennali.* Garc. *p. 4. c. 3. num. 11.* citans Paris. *de resign. l. 2. q. 23. n. 12.* Roch. & C. Castrop. *tr. 13. de benef. d. 2. p. 1. num. 7.* Corrad. *pr. benef. l. 4. c. 2. num. 15.* Eò quòd hæc acceptatio facta à præsentato sit pars præsentationis, Garc. & reputetur unicus actus. Castrop. *Corrad. l. cit.* Nec sufficit scientia præsentati sine illius acceptatione. Corrad. *loc. cit.* citans Calent. *de jurepatr. conf. 9.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 15. num. 1.* Non tamen requiritur acceptatio ad partem; si nominatus sit præfens; quia cum se tunc præsentari ferat, intelligitur consentire & acceptare. Corrad. *loc. cit. num. 16.* citans Lap. *alleg. 8. circa med.* Cardin. in *c. fin. h. t.* Neque sufficit, dum præsentatur absens, Notarium, conficiendo instrumentum

præsentationis, dicere: *Coram me Notario pro eo acceptante & stipulante*; quia talis stipulatio nihil prodest in hac materia, licet operetur quoad alios actus, veluti etiam in ipsa donatione juris patronatus; quæ valet, & est perfecta facta absenti per stipulationem Notarii; Notarius enim tanquam servus publicus potest stipulari & acquirere absenti, & sufficit rati habitio absentis, etiam non expressa, sed tacita, si ex factis conjici potest; nam ex scientia rei favorabilis inducitur. Corrad. *cit. num. 16.* Sed nec sufficit acceptatio præsentationis facta à patre pro filio, vel à consanguineo pro consanguineo. Corrad. *ibidem.* & videtur id verum, etiam si acceptaret pater aliæ personæ conjuncta cum cautione de rato, propter eandem rationem, quam dat Garc. *p. 5. c. 9. num. 203.* cur pater pro filio præsentare nequeat; nimirum quia in causa spirituali, qualis est hæc, pater vel conjuncta persona non admittitur sine speciali mandato. Item idem valere videtur, quod Garc. *ibidem* de præsentatione habet, nimirum si admitteretur talis acceptatio patris alteriusve personæ conjunctæ, ita demum valeret, si ratificatio fieret intra tempus datum ad præsentandum. Sufficit tamen & non aliter tunc acceptatio facta per procuratorem habentem speciale mandatum ad acceptandum beneficium in specie vel in genere. Garc. *p. 4. c. 1. num. 21.* citans Lamb. *p. 2. l. 1. q. 5. a. 2. num. 2.* Corrad. *loc. cit.* ubi etiam ex Lamb. quod id intelligatur tam de jure patronatus laicorum, quam Ecclesiasticorum. Porro de dicta acceptatione constare debet per literas, vel procuratorem. Corrad. *ibidem.* Garc. *p. 4. c. 2. num. 23.* ex Lamb. Denique quod si intra tempus datum ad præsentandum non acceptaret, & patronus alium non præsentavit, (quod potest) collatio beneficii devolvitur ad Superiorem. Corrad. *cit. num. 15.* ex Lamb. *p. 1. l. 1. a. 21. num. 5.* Quod Garc. *loc. cit.* ex Lamb. ait; quod dicta acceptatio requiratur intra quadrimestre, intelligendus erit de patronatu laicorum tantum.

2. Secundò: præsentatio à patrono facta, seu potius nominatio firma non est, neque jus præsentato ad beneficium confert, quousque habenti instituere præsentetur; quia hoc est de ratione præsentationis, Castrop. *loc. cit. p. 8. n. 1.* citans Abb. *in c. ea noscitur. de his, que sunt à prælat.* Garc. *p. 4. c. 1. n. 16.* Barb. *p. 3. de pot. Ep. alleg. 72. n. 12. &c.* Non tamen requiritur, ut præsentatio sit acceptata ab habente instituere, sed sufficit esse ei factam, etsi is eam non admittat. Zerol. *loc. cit.* citans Geminian. *in c. 1. de postulat. in 6.* Garc. *loc. cit. n. 11.* Rebuff. *de nominatione. q. 4. n. 6.* Selva, &c.

3. Tertiò: requiritur, ut præsentatio valida insuper talis sit, cui necessariò debeatur institutio: Nam si liberum sit instituenti præsentatum rejicere, nullum jus considerabile ex tali præsentatione habebit præsentatus. Castrop. *loc. cit. num. 8.* Hinc dum plures sunt præsentati per unum eundemque patronum, nulli eorum est jus quæsitum ad rem; cum omnes in communi habeant jus & actionem, ut unus eorum ab habente instituere instituarur. Garc. *num. 13.* citans Abb. *in c. cum Berthold. n. 10.* Mohed, Roch. contra Lamb. Idem est, dum plures sunt præsentati à diversis patronis in æquali semper numero, v. g. singuli habeant duo suffragia; nam ut unus præsentatorum dicatur habere jus ad rem, requiritur major pars patronorum, seu vocum. Garc. *num. 14.* citans Rotam, *in una Me-*

diolan. Capellania. 27. Martii. 1602. & plures alias ejusdem decisiones; præter quæ specialiter

Quæres 123. Coram quo fieri debeat præsentatio?

1. **R**espondeo: necessariò debet fieri coram habente instituere. Castrop. *cit. p. 1. num. 5.* Lott. *l. 2. q. 6. num. 33.* & *q. 13. num. 103.* pendet enim validitas præsentationis, seu ea suscipit formam ex concursu trium personarum, præsentantis, præsentati, & habentis instituere. Lott. *cit. num. 33.* Unde actus præsentationis facta extra præsentiam habentis instituere, resolvitur in simplicem nominationem, per quam non quæritur jus aliquod considerabile aut præservabile ipsi ita præsentato, vel potius nominato. Lott. *num. 35.* citans Rot. *in una. Hipporegien. plebanie. 25. Junii 1610.* cum sit potius quædam impropria & verbalis electio personæ, ut præsentetur, quam præsentatio. Lott. *num. 36.* & Abb. *in c. ult. h. cit. num. 4.* & verius actus præsentationis inchoatus, quam consummatus, nullatenus impediens variationem. Lott. *ibid. ex Lamb. p. 2. l. 2. q. 7. a. 2. n. 2. & 5.* Proce- ditque responsio, etiam si habens instituere sit inferior Episcopo; ita etiam, ut non excusaretur patronus, qui neglecto præsentare coram tali inferiore institutore, præsentandum subjecisset Episcopo pro examine. Lott. *num. 46.* citans Rot. *in Me- diol. juris patronatus. 22. Maji 1575.* Nihilominus excusandum patronum à devolutione, si præsentasset alteri, quem ex rationabili causa credidisset habere jus instituendi, v. g. Ordinario (cum enim inferiores habeant jus instituendi non ex jure communi, sicut Ordinarii, sed ex legitima præscriptione, privilegio, vel lege fundatoris; facile est patronum hoc ignorare; cum nemo teneatur, nec valeat quandoque scire jura privatorum. Corrad. *in pr. benefic. l. 4. c. 6. num. 2. & 3.*) etiam si illud in veritate non habeat; tradit Lott. *num. 48.* citans Rebuff. *in prax. de devolut. num. 26.* Lap. &c. Garc. *p. 10. c. 3. num. 7.* citans claram desuper Rotæ decis. Corrad. *loc. cit.* Porro in dicto casu ignorantia potest patronus iteratò præsentare, habetque aliud semestre vel quadrimestre, prout est laicus vel Ecclesiasticus, à die scientiæ nullitatis præsentationis. Corrad. *cit. num. 1.* citans Roch. *de jure patronatus. v. honorificum. q. 37. num. 63.* Vivian. *in pr. juris patronatus. l. 5. c. 2. num. 27. & num. 5.* citans Barb. *de potest. Episc. alleg. 72. num. 141.* secus verò, si scienter & dolosè præsentavit coram non habente instituere; quia tunc devolvitur collatio ad superiorem; sed de hoc pluribus infra.

2. Sed neque præsentatio, quæ fit in Curia pro obtinenda institutione à Papa exigit præsentiam Papæ, aut alterius superioris, qui illam excipiat, ut Lott. *num. 49.* Corrad. *l. 4. c. 7. n. 33.* Papa enim ut totius mundi negotiorum mole pressus non potest vacare receptioni hujusmodi præsentationum; unde nec præsentatus debet sensibus corporeis se coram Papa sistere, qui propterea suis officialibus hujusmodi negotium demandavit; quare videmus passim supplicas signari per Prælatum habentem à Papa potestatem signandi istiusmodi supplicas, etiam in privata domo ipsius prælati. Corrad. *ibid.*

* *

F 2

Quæstio

P. Leuren. Fori Benef. Tom. 11.

Quaestio 124. Num ad validam praesentationem requiratur, ut fiat per patronum corporaliter praesentem habenti instituere?

Respondeo negativè: sed sufficit facere praesentationem medio procuratore, vel missis literis. Castrop. loc. cit. num. 5. & apud illum Tusch. l. 3. conclus. 592. num. 24. Barb. p. 3. de potest. Episc. alleg. 72. num. 116. juxta clarum textum c. ea noscitur. de his, quae sunt à prael. Porro hoc intelligendum de constituto procuratore, postquam vacavit beneficium, an enim, & qualiter, & in quibus casibus constituitur possit procuratorem, antequam vacet beneficium, in ordine ad praesentandum, & valeat per eum facta praesentatio, dictum fuit supra.

Quaestio 125. Num ad validitatem praesentationis requiratur, ut praesentandus corporaliter exhibeatur, & sistatur praesens habenti instituere?

1. **R**espondeo negativè: potest enim institutori validè praesentari per literas, vel procuratorem à patrono, vel à seipso: ita absolutè docent Castrop. loc. cit. num. 6. citans Azor. p. 2. l. 6. c. 21. q. 6. Card. Luca de jurep. d. 64. n. 30. citans Lap. alleg. 75. contra Abb. in c. ea noscitur. Corrad. l. 4. c. 2. num. 1. & seq. Lott. l. 2. q. 6. num. 33. & 34. Garciam p. 4. c. 1. num. 16. Lamb. l. 2. q. 11. a. 2. Barb. p. 3. de potest. Episc. alleg. 72. num. 110. Zerol. v. jusp. § 7. Tusch. l. B. conclus. 191. Corrad. p. 4. c. ult. num. 18. & alios, quorum sententiam communem dicit Castrop. è quibus tamen plerique, ut Abb. p. 2. consil. 70. Garc. loc. cit. num. 8. & 25. Barb. loc. cit. num. 118. Lamb. Zerol. admittunt, valere praesentationem absentis, si eam admittat Ordinarius, seu habens instituere (etiam cum clausula: *salvo jure alterius*: vel etiam, si eam non rejiciat: hoc ipso enim censetur admissa. Lott. num. 43. & 44. citans plures Rot. decis. non tantum ubi absentis qualitas, seu idoneitas ei nota esset, sed etiam, ubi is ei ignotus est, nisi quòd Barbofa excipiat, praesentatum ad parochiales, eò quòd tunc examen praesentati sit de forma: Quin & eorum aliqui doceant simpliciter, valere absentis praesentationem; dum is notus est habenti instituere; ut Lott. loc. cit. num. 37. citans Abb. & Lamb. intellige, eà notitià, quae concludat ad idoneitatem, ut non egeat examine. Lott. num. 40. Qualis notitia praesumitur in Ordinario ex eo, quòd praesentatus sit diocesanus, juxta Rotam in *Amerina juris patronatus*. 17. Novemb. 1614. Quod et si sibi durum videri, dicat Lott. num. 41. putat tamen hanc praesumptionem prevalere, si concurrat talis praesentationis admissio, eò quòd, dum habens instituere talem admittit, praesumatur habere sufficientem notitiam absentis. Verùm valere praesentationem absentis, etiam independentè ab admisione Ordinarii, & notitia praesentandi, bene probat Castrop. ex eo, quòd nullus juris textus hanc corporalem praesentiam praesentandi requirat pro praesentatione; sed ad summum pro institutione; cum nequidem aliàs praesentatio absentis, etiam admissa ab Ordinario, valeret. Hinc ex eo, quòd *Trid. sess. 24. c. 18.* decernit praesentatum admitti non debere, nisi ab Ordinario examinatus & idoneus repertus fuerit, id necessarium sit, non tantum in parochialibus (in quibus de forma & substantia est dictum examen) sed etiam in simplicibus, non infertur, dictam praesentiam praesenta-

tioni, sed institutioni faciendae necessariam esse, ut rectè notat Garc. cit. num. 25. Quin &, si ad valorem praesentationis jura exigerent hanc praesentiam, jam nequidem Ordinarius, etsi vellet, posset validè (quod docent suprascripti AA. & praeter eos Riccius in *pr. resol.* 139. & 141. Innoc. in c. in *Lateranensi de praebend. &c.*) saltem dum is cognitus est, admittere praesentationem absentis; quia ea de jure est invalida. Castrop. num. 6. Tamen autem detur verbum illud: *repraesentent*; quo utitur textus. c. cum & plantare. de privileg. denotare corporalem praesentiam (ut probant plures textus juris civil. l. consentaneum. c. quomodo & qualiter iudex; & l. i. ff. de verb. oblig. & tradit Gl. *repraesentare*, in *Clem. dudum de sepulc.* Tiraq. de jure mariti. gl. 6. num. 31. Selv. p. 3. q. 6. num. 7. &c.) adhuc non significare praesentiam corporalem praesentati, sed procuratoris per ipsum. Castrop. cit. num. 6. Idem dici posset de verbo illo: *exhibitio*, dum definitur praesentatio, esse exhibitio personae facta per patronum Episcopo; quamvis non minùs rectè dicatur quoque persona praesentanda exhiberi mediis literis, vel procuratore eam repraesentante. Porro si valida est praesentatio absentis, & aliunde nihil obstat, non video, cur in libertate Ordinarii, seu habentis instituere sit, eam non admittere, cum possit praesentatum ad examen vocare, aut curare examinari, & disquirere de ejus idoneitate, antequam eum instituat.

2. De cetero non attendi istam absentiam, dum pro institutione, seu provisione faciendae recurrit ad Papatum (eò quòd subit aliquid impedimenti, v. g. defectus aetatis, vel qualitatis requisitae in praesentando à fundatore, super quo Ordinarius non potest dispensare instituendo talem praesentatum) sed satis est, constare tunc de consensu patroni (qui etiam consensus patronorum praestitus provisionibus Apostolicis habet vim praesentationis; quin & sufficit ad acquirendam quasi possessionem praesentandi, ut Corrad. in *pr. benef.* l. 4. c. 2. num. 7. & 8. juxta plures decis. Rot. quas citat) docet idem Corrad. *ibidem* num. 9. quòd quando absens potest praesentari, posse patrem pro filio, fratrem pro fratre, consanguineum pro consanguineo, amicum pro amico, cum promissione & cautione de rato petere praesentatum institui, & causam institutionis prosequi, & institutionem obtinere: si tamen praesentatus tanquam notus non egeat examine; citatque pro hoc Vivian. in *pr. jurispr.* l. 11. c. 1. n. 3. & 4.

Quaestio 126. In qua forma debeat fieri praesentatio, an scripto, an per libellum, vel oretenus certà formà verborum?

1. **R**espondeo: non requiri, ut fiat per libellum penes acta Judicii, neque ut fiat per scripturam publicam, seu instrumentum publicum; sed fieri potest per scripturam privatam; imo per literas familiares, & absque omni scriptura oretenus. Card. de Luca, de jurep. d. 64. num. 21. & 23.

2. Neque certa verborum forma requiritur, modò sufficienter exprimatur voluntas actualis, quae actu praesentetur. Card. Luca *ibid.* Porro ubi uteretur patronus verbis potius velleitatem, quam perfectam dispositionem ac determinatam voluntatem significantibus, v. g. dicendo: *volo praesentare Titium*: vel *nomino Titium in praesentandum*: vel *praesento Titium*, non exprimendo, ad quid. Card. Luca

loc. cit. n. 24. ait: cum hæc sit quæstio facti & voluntari potius, quam juris, decidendum, & de dicta voluntate judicandum cum regulis generalibus, secundum quas solemus istiusmodi voluntatum perfectionem tam in actibus viventium, quam morientium dijudicare. Illud solum in præsentibus observandum, quod debeat intra terminum à jure præscriptum probari talis voluntas coram habente instituere.

Quæstio 127. An, & qualiter præsentatio possit esse conditionata?

Respondeo primò: per præsentationem (contrarium est in institutione, collatione, & electione, de quo vide AA. paulò post citandos) fieri posse conditionatam, seu sub conditione; quin & dubiam & obscuram, v. g. si diceret patronus, ut Card. de Luca *loc. cit. n. 25.* *præsentò mihi proximiorum in parentela, vel illum, qui me baptizavit, vel relativè ad tertium: præsentò illum, quem Titius præsentabit &c.* modò intra tempus concessum ad præsentandum conditio purificetur, incertitudo & obscuritas certificetur, & fiat clara coram institutore. Corrad. l. 4. c. 6. n. 26. citans Vivian. l. 6. c. 6. n. 24. Card. de Luca. *loc. cit. Garc. p. 3. c. 2. n. 42.* citans Lamb. p. 2. l. 2. q. 3. a. 5. n. 5. Porro si conditio vel incertitudo venit purificanda vel certificanda per habentem instituere, statim dicitur purificata, & certa præsentatio. AA. *idem. loc. cit.* Hinc

2. Respondeo secundò: potest præsentari inhabilis (hoc est, cui deest aliquid à jure vel fundatore requisitum) sub expressa conditione impetrandi à sede Apostolica dispensationem super isto defectu, v. g. super ætate vel qualitate sacerdotis requisita à fundatore, intra tempus tamen datum ad præsentationem patronis, qui proinde pro ea vice privari non possunt potestate præsentandi, tanquam si inhabilem præsentassent; ac proinde collatio devoluta ad superiorem, cujus est instituere, cum præsentatio facta fuerit sub conditione. Corrad. *in pr. benefic. l. 4. c. 6. n. 4. & 26.* juxta decis. Rotæ n. 1173. apud Seraphin. Nequaquam autem in hoc casu impetranda hujusmodi dispensationis pro præsentando inhabili sufficit, fuisse intra dictum tempus datum patronis ad præsentandum porrectam Pontifici supplicam, ac de hoc docere coram Ordinario, nisi fuerit etiam signata, ac saltem datata; licet nondum registrata. Corrad. *n. 5.* Tempus verò devolutionis factæ ad institutorem incipit à die nulliter obtentæ vel etiam denegatæ dispensationis. Corrad. *ibid.*

3. Porro hic observandum ex eodem Corrad. *cit. n. 4.* citante seipsum *in praxi dispens. apost. l. 4. c. 2. n. 14 & seq.* primò nunquam aut rarè dari istiusmodi dispensationem ad partem sine provisione (nisi fortè sint nepotes Cardinalium, aliæve personæ qualificatæ, ut Principum filii, cum quibus ad partem dispensare consuevit; ut nimirum non obstante v. g. defectu ætatis, tunc expressè obtinere possint beneficia simplicia non habentia annexum S. Ordinem) sed solere dari dictam dispensationem insertam in literis provisionis Apostolicæ de beneficio, ad quod orator est præsentatus, perinde ac si collatio ipsa simpliciter spectasset ad ipsum Pontificem, & cum solutione omnium jurium Officialibus Cancellariæ Apostolicæ debitorum. Secundò: quotiescunque Orator ratione alicujus impedimenti sive defectus, sive is sit alicujus à jure, sive à fundatore requisiti, non potest ab Ordinario obtinere collationem vel

B. Leuren. Fori Benef. Tom. 11.

institutionem; ad quem ea aliàs de jure spectaret; recurrendum ad sedem Apostolicam, sive pro nova & simplice provisione cum dispensatione aut, etiam gratia *perinde valere.* Quòd si beneficium pingue est, etiam si sit juris patronatus, etiam laicorum, solere Papam super hujusmodi redditibus aliquam, licet modicam, pensionem, ob favorem personæ sibi bene visæ reservare. Tertio hodie, dum petitur dispensatio super defectu ætatis, etiam præsentati ad beneficium juris patronatus vacans, sive per obitum, sive per resignationem, regulariter non dari dispensationem ultra annum super dicto defectu.

4. De cetero, quid sit specialiter circa adjectam in præsentatione conditionem reservationis pensionis in favorem præsentantis, vel alterius ab eo nominati, vide Card. de Luca *loc. cit. n. 27.* ubi ait: decisionem pendere ab ea distinctione, quæ adhiberi solet circa conventiones inter resignantem & resignatarium, & breviter quoad præsens: dictam conditionem esse licitam si fiat sub expressa reservatione beneplaciti Apostolici, & non vitare actum præsentationis vel collationis; habetur enim pro non adjecta, si Papa neget; qui tamen requirendus est; si tamen adjiatur sine hujusmodi reservatione beneplaciti apostolici, nisi adsit clausula: *non aliàs; sive non aliter; vel alio modo;* seu alia æquipollens, quæ adimat consensum ab actu, potius talis conditio habeatur pro inutiliter adjecta, quam ipsa vitiet talem actum præsentationis, collationis, &c. Proceditque id multò magis, si adjiatur clausula, *omni meliori modo.* Ità Card. de Luca *loc. cit. n. 27.* uti & *in sum. juris patr. n. 107.* ubi hanc doctrinam extendit ad omnem conditionem à jure reprobam, quòd illa adjecta actui, & in præsentationi potius vitata seu nulliter adjecta habeatur, quam actum vitiet.

Quæstio 128. An, & qualiter præsentatio facta pro forma requirat examen præsentati?

Respondeo primò: facta præsentatio ad parochialem requirit essentialiter, seu pro forma examen præsentati. Lot. l. 2. q. 1. n. 45. Paris. *de resq. l. 8. q. 5. n. 37.* & de hoc dictum alibi, ubi de consensu instituendo, videri etiam poterunt Barb. *de off. parochi. p. 1. c. 2. n. 124.* Garc. p. 4. c. 2. n. 22. & seq. Less. l. 2. c. 34. n. 81.

2. Respondeo secundò: non requiri hoc examen pro detegenda habilitate præsentati in ordine, ut præsentatio admittatur; sed in ordine, ut institutio fieri possit, & hæc suum effectum consequatur: unde licet notitia, quam habet Ordinarius, non suppleat hanc formam, ut sine ea possit instituere; licet ea suppleat examen, ut præsentatum recipere possit. Lot. *loc. cit. n. 46.* ubi etiam quòd satis sit, præsentatum ad parochialem postea subijci examini requisito pro forma ante institutionem.

Quæstio 129. An præsentatio vitietur, si patronus dicat: eligo Titium in præsentandum?

Respondeo negativè: Laym. *ad c. perpetuo. de postul. n. 4.* citans Jo. And. Franch. *in idem c. cum* enim præsentatio diversa sit ab electione & postulatione, neque iisdem regulis juris definiatur, ea, quæ aliàs hac in parte de electione & postulatione dicta sunt, ad præsentationem transferri non debent. Unde dum constat de voluntate præsentare volentis, dicta verborum forma est sufficiens. Laym. *ibid.* Porro præsentationis formulam tam

dum ea sit per patronum ipsum, quam per ejus procuratorem, vide apud Corr. l. 4. c. 6. n. 4.

Quaestio 130. Qualiter presentatio ex praescripto foundationis, aut aliis facienda coram Papa, fiat?

Respondeo: si patronus in Romana Curia praesens est, per se; vel si ab ea absens est, per constitutum ad hoc procuratorem praestare debet consensum suum, praesentando oratorem coram Notario Cancellariae vel Camerae ad recipiendos hujusmodi consensu beneficiales deputato & habenti facultatem à Papa, qui consensus sic in manibus praedicti Notarii praestitus per patronos habet vim praesentationis juxta decis. Rotae. 532. n. 4. p. 1. divers. valétque praesentatio perinde, ac si fuisset facta coram ipso meto Papa, etiamsi in mandato dicatur ad praesentandum coram Papa, vel, ut etiam dici quandoque solet, coram illius Datario, ut Vivian. in pr. juris patr. l. 6. c. 8. n. 23. apud Corrad. l. 4. c. 7. n. 34. licet enim praesentatio & consensus hujusmodi fuerit receptus per Notarium supra dictum à Papa ad id deputatum; non tamen iste actus attribuitur Notario, sed Papae, ut dictum in una Florent. parochialis. decis. 92. n. 12. ac ita praesentatio in manibus Papae fit per instrumentum, & sufficit consensus praebitus in Cancellaria vel Camera per patronos, valétque praesentatio de absente, nec requiritur iste ordo, quo utimur alias, quando fit praesentatio coram inferiore servata forma, & appposito edicto juxta text. c. fin. in 6. Ita ferè ad hanc quaestionem responderet Corrad. cit. n. 34. & seq. qui etiam n. 35. hanc ponit formulam hunc praestandi consensum ac praesentandi; nec non admittendi praedictam praesentationem; quae extendi consuevit à tergo literarum apostolicarum, continentium talis beneficii patronati collationem, nimirum: Anno Dominicae Incarnationis. Die N. Titius, ad quem jus patr. & praesentandi personam idoneam ad beneficium N. ut praetenditur, spectat per D. Cajum procuratorem ejus ad beneficium dictum vacans Sempronium sanctissimo praesentavit, praesentationisque hujusmodi, ac literarum expeditioni consenserant, &c.

Quaestio 131. Qualiter, dum plures sunt patroni, facienda & admittenda praesentatio?

1. **R**espondeo primò: si plures praesentent per modum unius (hoc est, quatenus unum corpus commune efficiunt, seu unum collegium aliàve communitatem constituunt; quòd spectat etiam, dum praesentatio est penes plures haeredes unius ex patronis; hi enim habentur pro uno, & habent unam tantum vocem, adeoque respectu illorum praesentatio non competit pluribus ut singulis, sed pluribus tanquam uni, ac si competeret pluribus ut collegio, Garc. p. 5. c. 9. n. 225. qui proinde debent simul convenire ad praesentandum, ut Paul. de Citadin. pauld post citand.) si plures praesentent per modum plurium, omnes vocandi, ita ut, si unus, qui possit vocari, spernatur, praesentatio sit nulla, Castrop. loc. cit. p. 8. n. 1. & 2. citans Azor. p. 2. l. 6. c. 21. q. 21. & Abb. in c. quoniam. h. t. contra Jo. And. in c. quoniam. Sylv. v. jus patr. q. 11. Valq. opus de benef. c. 2. §. 1. dub. 7. n. 18. Less. l. 2. c. 34. n. 34. censentes non esse necesse vocari omnes, dum non per modum unius, sed per modum plurium (jure patr. nimirum spectante ad eos ut singulos) concurrunt plures ad praesentandum; sed firmam esse praesentationem factam à majore parte, quibus accedit Garc. p. 5. c. 9. n. 222. citans

in super Paul. de Citad. p. 6. q. 19. a. 3. Lamb. p. 2. l. 2. q. 2. n. 8. (qui etiam dicit esse sententiam communem) & alios, & plures Rotae decis. praecipue in una Callagur. beneficii. 4. Mart. 1594. coram Mantica, quam fuse refert Garc. n. 227. qui omnes dicunt, quòd, ubi sint plures patroni, possunt singuli praesentare, aliis non requisitis, quando jus patr. spectat ad eos ut singulos (quod in dubio semper praesumitur) & non ut universos, seu jure collegii; & sententiam contrariam Abbatis, Felin. Rochi procedere, quando, etsi jus patr. pertinet ad plures ut singulos, vigore tamen instituti vel consuetudinis soliti sint convenire. Item in praesentatione seu nominatione faciendae ad Capellaniam, in qua non debet fieri institutio à superiore, ut in capellania non collativa. Item in electione ad elemosinam aliquam faciendam, seu opus pium; quia hic ulterior actus non requiritur, sed sufficit sola nominatio; adeoque facta hac electione per majorem partem, minor pars non habet amplius, quòd fecerit; adeoque ali quo non vocato seu contempto, actus non valebit, etiam contempto non reclamante. Garc. n. 228. Verùm rationem hanc dat Castrop. quòd quilibet patronorum, etiam concurrentium per modum plurium ad praesentandum, habeat jus praesentandi intra tempus à jure concessum, quem voluerit: nemo autem privandus sit jure suo sine culpa, qualiter in praesente, si valida foret praesentatio majoris partis patronorum, aliis patronis non praesentantibus, dum adhuc tempus currit ad praesentandum, hi non praesentantes privantur jure suo. Aliam rationem dat Abbas, Roch. Felin. apud Garc. n. 223. nimirum ex regula Bartol. in l. omnes populi. ff. de justitia & jure, quam probant ibidem alii DD. quòd in his, in quibus consensus majoris partis praedictat minori, etiamsi pertineat ad plures ut singulos, requiratur, ut actus fiat simul, & debent simul convenire, l. ut suum. ff. de pactis. l. fin. c. qui bonus cedere possint. & ibi Greg. Lopez. Straca de decoctoribus c. p. n. 9. Ad quam tamen rationem respondet Garc. n. 224. ex Lamb. & de Citadinis; regulam illam procedere, quando factum majoris partis praedictat minori circa eundem actum; in praesente autem praesentatio majoris partis non praedictat minori quòd ad actum praesentandi; quia quilibet potest praesentare, quem voluerit.

2. Porro necesse non est, ut fiat hac vocatio per citationem personalem; sed sufficit, si edicta ab institute seu Ordinario publicentur de vacatione talis beneficii, ita ut in notitiis patronorum omnium possit devenire: hac enim publicatione facta erit in culpa, adeoque imputet sibi patronus, quòd non praesentavit, dum tamen per modum unius faciendae à pluribus praesentatio, omnes, quorum interest vocandi, ut determinato tempore congregentur, aliàs nulla erit nominatio; quia congregatio legitima non erit, ita Castrop. loc. cit. n. 2. Dum autem aliqui nolent convenire (intellige, dum necessarium est, ut conveniatur in unum) si praesentatio spectet ad plures ut plures, & sint verum collegium, recurrendum est ad ea, quae tradunt Doctores maximè Felin. in c. cum omnes. d. c. constitut. Si verò non sint Collegium, Judex ad instantiam aliorum statuet illis terminum & locum, ubi conveniant (nisi in fundatione sit statutus) & tunc non comparentes faciunt se alienos, & praesentes poterunt actum celebrare, sicut tradit de capitulo & collegio Garc. n. 229. & 230.

3. Respondeo secundò: ad validam praesentationem requiritur, ut major pars patronorum con-

tent

riat in unum; quod ita intelligendum, ut dum communitas aliqua præsentat, major absolute pars illius consentire debet, cum aliis verum non sit; communitatem illam præsentasse; dum verò non à communitate, sed à pluribus ut singulis & seorsim sumptis fit præsentatio, illa præsentatio valebit & sortietur effectum, quæ comparatione aliarum partium major est, seu plura complectitur suffragia, v. g. dum novem sunt patroni, & ab eorum duobus præsentatur Titius, ab eorum tribus præsentatur Cajus, ab eorum quatuor Sempronius, valida tantum erit præsentatio Sempronii, quia esto, non sit facta à majore parte patronorum computatis omnibus patronis, est tamen facta à majore parte patronorum, quatenus præsentationem faciant seu comparatione aliarum partium. Castrop. n. 4. citans Vasq. ubi ante num. 20. Azor. ubi ante q. 20. Jo. And. Sylv. &c. juxta quæ

4. Respondeo tertio: dum plures communitates tanquam diversa corpora concurrunt ad præsentandum, quodlibet corpus unam vocem integram habet, isque censetur nominatus ab uno integro tali corpore, qui majorem partem constituentium tale corpus pro se habuerit, & is in hoc casu plurimum corporum diversorum facientium præsentationem censetur habere pluralitatem suffragiorum, adeoque illius valebit præsentatio, non qui à pluribus absolute personis horum corporum, sed qui ab integris pluribus corporibus fuerit nominatus, v. g. tria collegia habent jus præsentandi: primum collegium continens 10 personas unanimiter nullo excepto consentit in Titium. Secundum, quod habet 20. Personas unanimiter consentit in Cajum. Tertium habens 20. Personas secundum minorem suam partem v. g. novem ex istis 20 consentiunt in Titium, reliqui in Cajum, Titius non habebit majorem numerum suffragiorum, sed Cajus Laym. ad c. pastoralis. de rescrip. n. 9. Idem docet Lott. pauld post citandus.

5. Respondeo quarto: dum vota patronorum sunt æqualia, v. g. duo præsentant Titium, & duo alii Cajum, neutra præsentatio prævalebit; sed est locus gratificationi, potestque habens instituere, quem maluerit, instituere. c. cum autem. h. r. Lott. l. 2. q. 11. n. 134. Circa quod notandum, quod habet n. 135. nimirum non omnem vocum præponderantiam vel pluralitatem (intellige materialiter acceptam) solvere talem æqualitatem; dum enim v. g. Patronus habens semissem votorum (hoc est, cujus unius suffragium tantundem valet, quàm reliquorum patronorum simul sumpta suffragia, in casu nimirum dum hi repræsentant unum stipitem) præsentat Titium; ex reliquis verò decem habentibus alteram semissem, octo præsentant Cajum, ceteri duo prædictum Titium, non propterea Titius jam habet majorem partem suffragiorum (uti eam haberet, si quoque ex istis decem haberet 6. suffragia) sed manet æqualitas; Cajus namque præsentatus ab illis octo, censetur habere vota totius dictæ semissis, eà ratione, quæ habens majorem partem corporis, interpretative dicitur habere consensum omnium. Denique quid speciale sit hac in parte circa religiosum mendicantem respectu religiosi non mendicantis, dum præsentatur ad prælaturam extra suum ordinem, vide apud Laym. in c. quorundam. de Elect. s. circa n. 2.

Quæstio 132. An & qualiter præsentatio admitti debeat ab habente instituere?

1. Respondeo primo: præsentatio legitime facta, & quoties non subest vel ex parte præ-

sentantis vel præsentati legitima causa eam repellendi, debet admitti ab habente instituere. Corrad. l. 4. c. 13. n. 1. Pròinde

2. Respondeo secundo: teneri illum admittendum præsentatum cum iisdem qualitatibus & conditionibus ipsius beneficii in limine foundationis adjectis, etiam si illa sint juri communi contraria. Corrad. l. 4. c. 6. n. 42. citans Felin. cum communi; sed neque illam potest aliter admittere. Unde plurimum interest habentem instituere perferari, an præsentatio fuerit facta servata formâ traditâ à testatore seu fundatore beneficii. Corrad. ibidem n. 41.

3. Respondeo tertio: non debere illum præsentationem factam per patronos & acceptatam per præsentatum admittere absolute, sed semper qualificativè, & cum adjectione clausulæ: *si, & in quantum*; quæ clausula id in se continet, seu significat; si & in quantum à jure admitti debeat, ac præsentanti jus comperat, & præsentato nihil de jure objici possit. Unde & sequitur citatò particularis vel generalis, discutientur jura præsentantium, ac præsentari idoneitas, sive præsentatio ipsa fiat in concordia sive in discordia. Corrad. l. 4. c. 3. n. 2. ubi etiam addit, præsentationes secundum omnium Ecclesiasticarum curiarum usum non consuevisse aliter, nisi cum dicta clausula admitti, etiam si certò sciat habens instituere, præsentantem ac præsentatum, nec non ipsum jus patronatus nullis laborare defectibus, quò minus ipsa præsentatio admitti queat. Porro dicta clausula, cum omnino ad juris dispositionem referatur, ut Barb. de clausulis, claus. 88. n. 2. Menoch. conf. 2. n. 360. Campan. Maranta, & c. apud Corrad. loc. c. n. 4. adeoque importet admissionem in his, quæ veniunt admittenda in casu præsentationis, in qua concurrunt omnia requisita, quæque propterea debet admitti, importat admissionem, & non operatur dispositionem conditionalem, adeoque præsentatio censetur admitti, sicuti è contra importat rejectionem præsentationis, quatenus præsentatio non habet omnia requisita, sive de jure non est admittenda. Corrad. cit. n. 4. citans Ricc. in collectan. decis. p. 2. claus. 99. in fine. Menoch. conf. 174. n. 31. &c.

Quæstio 133. Quid agendum, dum habens instituere non admisit præsentationem, vel eam rejecit dicendo: non admitto talem præsentationem?

1. Respondeo primo: patronus in eo casu non tenetur alium præsentare; si enim postea coram iudice appellationis constituerit hujusmodi præsentationem fuisse legitime factam, illi, qui erat præsentatus, debet institui. Corrad. l. 4. c. 3. n. 4. citans Roch. de jure patr. v. honorificum. q. 46. Barb. de pot. Ep. alleg. 72. n. 167.

2. Respondeo secundo: dum absque patronorum culpa & vitio legitime facta præsentatio fuit rejecta, potest patronus & præsentatus agere contra hujusmodi recusantem admittere præsentationem apud superiorem illius, ut cogatur eam admittere, & instituere præsentatum, & ad rescindenda damna & expensas, si quæ inde orta patrono & præsentato. Corrad. cit. q. 3. n. 5. De modo autem, quo in dicto casu procedere debeat ad consequendam institutionem, vide eundem Corrad. ibid. n. 6. & seq. & dicenda inferius de institut.

Quaestio 134. An, & qualiter presentatus legitime renunciare seu resignare possit?

Respondeo: posse presentatum ad beneficium juris patronatus, antequam instituat ab habente instituere, renunciare presentationi in manibus patronorum, etiam si stetit per annum; quia juri ad rem, quale tantum acquiritur per presentationem, etiam a superiore acceptatam ad beneficium, necesse non est renunciare in manibus superiorum, *Corr. l. 5. c. 1. n. 4. citans Lamb. l. 3. d. 5. q. 3.* ubi etiam subdat, idem esse, etiam si Episcopus jam admisisset presentationem. Quin & potest idem presentatus non solum renunciare in manibus patronorum, sed & in manibus cujuscunque simplicis Notarii; quo casu patroni habebunt integrum tempus ad presentandum; quia per eos non stetit, quod minus presentatio sit consecuta effectum. *Corrad. ibid.*

PARAGRAPHVS II.

De tempore, quo vel intra quod fieri debet presentatio.

Quaestio 135. Intra quod tempus fieri debeat presentatio?

1. **R**espondeo: patrono laico conceduntur 4^o menses, Ecclesiastico 6. c. quoniam, c. cum propter. c. cum re. b. r. Patronatus vero mixto ex laicis & Ecclesiasticis, communis sententia tenet, concessum esse semestre; tamen si laici seorsim ab Ecclesiasticis nominarent (saltem dum mixtura aequalis est; dum enim mixtura inaequalis est, attendendam praeponderantiam, v. g. si plures sint laici, concessum tantum esse quadrimestre tenent *Lott. l. 2. q. 10. n. 61. Gonz. & c. apud Card. de Luca. de jurep. d. 64. n. 4.*) quia ratione communionis privilegium concessum Ecclesiasticis communicatur laicis. *Less. l. 2. c. 34. n. 26. Bassa. loc. cit. Barb. juris Eccles. l. 3. c. 12. n. 168.* quam sententiam etsi communem fateatur *Castrop. cit. tr. l. 3. d. 2. p. 5. n. 2.* citatque pro ea *Abb. in c. cum re. Selv. p. 3. q. 11. n. 18. Garc. p. 5. c. 9. n. 210. Ricc. in pr. resol. 458. Barb. p. 3. de pot. Ep. alleg. 72. n. 131. Valq. opus de benef. c. 2. §. 1. du. 3.* Ipse tamen probabilius censet, saltem dum laici seorsim ab Ecclesiasticis nominarent; patronatus mixto non concedi nisi quadrimestre. Concedi quoque adhuc semestre patronatus mixto, etiam si laici essent plures, quam Ecclesiastici, censet *Card. de Luca loc. cit. n. 4. Vivian. in pr. juris p. 67. c. 1. n. 9. Paris. de resig. l. 2. q. 4. n. 50. apud Barb. loc. cit. n. 169.* quam vis ipse id neget de potest. Ep. p. 3. alleg. 60. n. 17. citetque pro se *Pereiram. & c.*

2. Porro cum rege non curari de tempore & termino ad presentandum, tam in Episcopatus, quam aliis ex *Cabedo de patronatibus regia corona. c. 28. n. 5.* ait *Garc. p. 10. c. 2. n. 34. in fine.* *Card. de Luca loc. cit. n. 13.* ait sic usu receptum esse. Idem de summis principibus esse ait *Castrop. loc. cit. n. 5.* rationem hujus hanc dat; quod in regibus & summis principibus praesumatur semper impedimentum ob plura, quibus implicantur negotia, secus ac accidit in aliis patronis, ubi dictum impedimentum; quia non praesumitur, probari debet.

3. Denique dicta de tempore concessio ad presentandum intelligenda tantum esse quoad beneficia simplicia, & secus esse de curatis & parochialibus, siquidem patronos, sive Laici sive Ecclesiastici, sive

saeculares sive regulares sint, habentes jus presentandi ad parochias patronatas teneri intra 20. dies a die veritabilis notitiae vacationis capellanus presentare juxta constitutionem Pii V. (quae incipit: *In conferendis beneficiis*, habeturque apud *Quarantam in Summar. Bullarii. V. beneficior. paroch. collatio;* & in qua prohibetur expressè Ordinariis, ne tempus decem dierum eidem Ordinariis & patronis à Trid. ad nominandum idoneos ad Ecclesiam regendam coram deputatis examinadoribus praefixum, ultra alios 10. dies prorogare praesumant, ac presentati, examinati & approbati debent intra duos menses à die presentationis, & habiti examinis institui, aliter beneficium devolvi ad Papam) habet *Balthus* iidem ferè verbis. *To. 2. v. beneficium §. 5. n. 5.* de hoc apud alios non invenio

Quaestio 136. Num sufficiat patronum intra tempus sibi datum ad presentandum presentasse à se delectum Ordinario ut examine- tur, dum collatio seu institutio facienda est per inferiorem?

Respondeo negativè: sed debet eundem actualiter intra dictum tempus presentasse coram illo, qui facturus est collationem seu institutionem. *Garc. p. 10. c. 3. n. 6.* testans sic resolutum in *Mediolan. juris patr. 22. Maii. 1595.*

Quaestio 137. An, & à quo concessum à jure tempus patronis ad presentandum abbreviari aut prorogari possit?

1. **R**espondeo primo: patronus, sive is Laicus, sive Ecclesiasticus fuerit, potest cum consensu Episcopi in limine fundationis dictum tempus tam prorogare quam abbreviare, v. g. dum est Ecclesiasticus, statueri, ut presentatio à suis successoribus patronis Ecclesiasticis debeat fieri ante semestre, quin & praefigere presentationi faciendam unicum solum mensem, ut *Marius Antonia. variat. resol. l. 1. resol. 112. casu 15. vers. 5.* Similiter ut possit fieri post elapsum jam semestre. Et dum patronus est laicus, statueri, ut debeat fieri presentatio ante, vel ut possit fieri etiam post quadrimestre; potest enim, ut saepe dictum, fundator apponere modum vel conditionem non solum citra vel praeter, sed etiam contra jus commune, adeoque tenor fundationis quod ad dictum tempus attendendus & servandus. *Card. de Luca loc. cit. n. 14. citans Vivian. l. 7. c. 1. n. 16. Corr. l. 4. c. n. 2. 61. & 62.* ubi etiam addit ex *Mario. Anton. loc. cit.* posse tamen tunc postmodum tempus à fundatore praefixum prolongari ab Episcopo, uti & ab eodem tempus à jure concessum abbreviari; cum contrariorum eadem sit disciplina. Verum cum in primo ageretur hac ratione contra voluntatem fundatoris, in secundo vero contra jus commune, permittens totum illud tempus patrono, non video quo modo hoc possit Episcopus; nisi forte dicatur; quod ait *Corrad. loc. cit. n. 66.* posse iudicem ob causam terminum à jure statutum abbreviare & prorogare, ut doctores in *l. 2. de re judic. de cetero*

2. Respondeo secundò: potest Ordinarius (idem videtur de inferiore Episcopo habente instituire, prorogare quadrimestre illud & semestre etiam ad aliud semestre; cum prorogatio ista in solius habentis instituire cedat praedictum, utpote in cuius favorem determinatio illa temporis à jure facta est, cui favori ipse cedere potest, cum uniusquisque rei

suæ sic moderator & arbiter. Card. de Luca *loc. cit. n. 16.* Corr. *cit. n. 66.* Castrop. *cit. p. 5. n. 8.* citans Ugolin. *de pot. Ep. c. 51. §. 1. n. 4.* Ricc. *in pr. fori Eccl. resol. 195.* Paris. *de resign. l. 7. q. ult. n. ult.* Barb. *cit. alleg. 72. n. 143.* Unde jam etsi patrono lapsus fuerit terminus datus à jure ad præsentandum, adhuc Ordinarius seu habens instituire, ad quem jure devoluta est collatio, permittere potest patrono, ut præsentet; cum devolutio hæc lata sit in favorem Ordinarii, cui cedere potest. Castrop. *loc. cit.* citans Lamb. *l. 2. p. 2. a. 27. n. 3.* Barb. *loc. cit. n. 170.* Card. de Luca *cit. n. 16.* citans Vivian. &c. & c. 2. *de suppl. neglig. pralat.* in quo dicitur: si non præsentent patroni intra tempus, liceat tibi ordinare in iis Rectoribus; verbum enim licet favorem & licentiam, non necessitatem imponit. Sed neque per hoc fit injuria superiori, utpote ad quem non fit devolutio collationis, nisi post dilataam per 6. menses à facta præsentatione, quæ fieri poterat ultimâ horâ quadrimestris vel semestris illius, institutionem. Neque dici potest creati per hoc præjudicium Ecclesiis, quibus diuturna vacatio solet esse damnosa, & propere ob utilitatem publicam, seu dictum damnus evitandum præfixum esse patronis quadrimestre vel semestri. Nam præterquam, quòd absque eo Ordinarius post factam jam præsentationem possit differre institutionem seu provisionem, nec ante ad alium superiorem devolvatur potestas conferendi, dum jus patronatus est laicorum, custodia Ecclesiæ spectat ad Episcopum; si Clericorum, spectet ad eisdem clericos, adeoque ex tali vacatione Ecclesia non patitur notabile damnus; præsertim, cum tales Ecclesiæ, in quibus cadit præsentatio, non sint cathedrales aut collegiata. Corrad. *loc. cit.* citans Lamb. *p. 2. l. 2. a. 7. q. 1. n. 686.*

3. Non poterit tamen illud prorogare plus, quam ad 6. menses; quia non potest ultra 6. menses institutionem differre, quin ad alium superiorem devolvatur institutio. Castrop. *loc. cit.* citans c. 2. *de concess. præb.* & Barb. *ubi antè n. 170.*

4. Porro requiri ad hanc prorogationem causam aliquam, satis indicat Corrad. *loc. cit.* dum inquit: posse prorogari tempus illud ad effectum, ut patroni possint melius pro idoneo præsentando deliberare, & iudex non nisi ex causa possit terminum à jure statutum prorogare; & sic videmus justâ causâ interveniente, maxime, quæ utilitatem Ecclesiæ, cui providendum de rectore, respicit, concedi dictam prorogationem à Pontifice, dum ad eum recurritur; non enim, ut inquit Corrad. *loc. cit. n. 68.* Episcopus semper hac urbanitate uti consuevit, quæ est in prorogando patronis tempus ad præsentandum, in quo casu peti poterit ea prorogatio à pontifice. Sed crederem, non adeo magnam necesse esse intervenire causam, ut Ordinarius hac in parte gratificetur patronis, cum prorogatio in ejus libitu sit institutionem ipsam, saltem ad aliquod tempus intra 6. menses differre.

Questio 138. Quo tempore intra dictâ quadrimestre vel semestri fieri possit præsentatio?

1. Respondeo primò: præsentationem posse fieri validè & licitè quocunque die, etiam festo intra dictum tempus; cum tempus illud quadrimestre vel semestri semper sit continuum, & quocunque die currat, etiam diebus festis juxta c. 3. h. t. Castrop. *cit. p. 5. n. 4.* citans Barb. *Garc. & c. l. 4. c. 2. n. 79.* citans Vivian. *l. 8. c. 1. n. 6. & 7.* Adeoque etiam fieri potest die Nativitatis Domini aut Paschatis; cum sit quid spirituale, & actus voluntarius, extra-

judicialis; quamvis, dum litigatur super beneficio vel præsentationis legitimitate, vellètque eam examinare Ordinarius ex officio in forma judicii, vel super ipso jure patronatus quòad proprietatem vel quasi possessionem illius, talis processus nequeat fieri diebus festis. Corrad. *ibid. & n. 83.* citans Gemin. *in c. concertatum. de appell. in 6.* Barb. *dicta alleg. 72. n. 144.* Quare ulterius

2. Respondeo secundò: potest fieri etiam de nocte ob eandem rationem; quia dictum tempus est continuum, & currit de momento in momentum, & computatur per menses, & mensis per dies 24. horarum, ac ita inclusâ nocte. Corrad. *loc. cit. n. 80. & 81.* citans Lamb. *ubi antè.* Unde, ut *ibidem* Corrad. si Episcopus jure devoluto confert beneficium juris patronatus laicorum ultimâ die quadrimestris, & si patronus ultra non præsentat, & alter illud impetravit à Papa, obtinebit illa impetratio; quia collatio facta ab Episcopo est ipso jure nulla; nec consensus patroni ex post præstitus potest illam ratificare; cum fuerit nulla, maxime in præjudicium impetrantis; quia etiam ultima dies spectabat ad patronum. Idem procedit in patrono Ecclesiastico de ultima hora semestris ob eandem rationem, etsi plerique doctores loquantur ferè ubique de ultima die quadrimestris; quin & à potiore juxta decif. 518. *de jure patr. in antiq.* quia patroni Ecclesiastici habent majus jus ad beneficia quàm laici, adeoque nunquam potest Ordinarius jure devoluto providere Ecclesiæ, seu conferre ante elapsam etiam ultimam diem, et sicque aliâ collatio nulla. Corrad. *cit. n. 82.*

3. Respondeo tertio: posse præsentationem (idem est de institutione, & qualibet aliâ provisione beneficii; secus tamen est de electione, quæ fieri nequit, ut Majol. *de irregul. l. 4. c. 35. n. 6.* Rodriq. *qq. reg. to. 2. q. 53. a. 13.* in sepulto rectore) mox à morte & ante sepulturam defuncti Rectoris; cum totum tempus datum à jure patronis ad præsentandum, sit eorum, & iis currat ab hora mortis defuncti Rectoris beneficii. Corrad. *l. 4. c. 6. n. 39. & 40.* citans c. *Bona de elect. Garc. p. 10. c. 1. n. 38.* Etsi de honestate sit exspectare, donec defunctus Rector sit sepultus. Auctores iidem cum communi ex c. *nullus. 2. dist. 79.* quin & sic fieri potest collatio, simul ac beneficium mortuus est, vel alio modo vacat beneficium, Ordinario etiam ignorante mortem vel vacationem (intellige, sub conditione, si vacet) ut *Garc. l. c. n. 37.* citans Corra. *de benef. p. 1. c. 7. n. 7. & seipsum p. 8. c. 2. n. 4.* Idem dicendum videtur de præsentatione.

Questio 139. Quomodo computetur dictum tempus?

1. Respondeo primò: computatur per menses, secundum quod hi occurrunt in calendario, & non ut singulis mensibus attribuuntur dies 31. *Garc. p. 10. r. 2. n. 42.* citans Sanch. *l. 2. de matrim. d. 24. n. 14.* Menoch. *de arb. l. 2. casu 50. num. 21.* Mandol. *de elect. p. 1. c. 3.* Boërium, & plures alios contra Hostiensem in c. *licet. de supplend. neglig. Quintinum in repet. c. de mult. a. n. 97.* Proceditque id, etiam si annus sit bissextilis, v. g. si beneficium coepit vacare primâ Januarii, finitur semestri ultimâ mensis Junii, & possunt præsentare patroni utique ad primam Julii exclusivè, & si vacarit primâ Januarii horâ octavâ manè, finitur primâ Julii horâ septimâ, seu octavâ marutinâ exclusivè, etiam si annus sit bissextilis. Auctores iidem. Castrop. *loc. cit. n. 4.* Secundò: computatur hoc tempus continuum d. è. que singuli ad 24. horas, ut dictum paulò antè.

2. Re-

2. Resp. secundò: tempus, si vè à jure, si vè à fundatore datum ad præsentandum computatur seu incipit currere, non ab hora, quâ beneficium vacat, sed ab hora, quâ patronus cœpit habere notitiam istius vacationis. Corrad. l. 4. c. 2. n. 73. dicens, etsi olim contrarium senserit Rota, aut etiam antiqua jura, nempe c. 2. de suppl. c. 2. de concess. præb. id hodie non tenere. Lott. l. 2. q. 6. n. 23. Garc. loc. cit. n. 34. Castrop. loc. cit. n. 3. citans Azor. p. 2. l. 6. c. 21. q. 11. Barb. de post. Ep. p. 5. alleg. 72. n. 134. Tiraq. de retract. tit. 2. §. 35. num. 7. &c. contra Lamb. p. 2. l. 2. q. 1. a. 8. Flores de Mena. q. 3. n. 20. & alios apud Garc. Hujus enim temporis determinatio est in odium negligentia patronorum; negligentiam autem habere non possunt, nisi vacationem sciunt. Castrop. loc. cit. Garc. loc. cit. n. 16. quamvis ibi agat de collatione, eadem tamen est ratio. Sic etiam tempus dictum currit patrono à die scientia commissa criminis, ob quod quis ipso jure seu facto privatur beneficio; ignorantiam tamen justè non currit. Corrad. loc. cit. citans Lamb. l. 2. p. 2. q. 1. Proceditque id ipsum, etiam si fundator mandasset præsentationem faciendam esse infra 4. menses à die mortis vel vacationis; quia debet intelligi & suppleri à die notitia; cum voluntas fundatoris semper intelligatur secundum juris communis dispositionem, dum aliud non est expressum. Corrad. l. 4. c. 2. n. 74. Idem est, ut *ibidem* Corrad. etiam si in Bulla collationis facta à Papa per devolutionem ob non servatum tempus datum ad præsentandum dicatur: à die vacationis. Garc. loc. cit. n. 24. citans Roch. v. honorificum. q. 27. & Abb. in c. nos quidem, de testam. Quin etiam procedit, etiam si fundator præfixisset tempus quantumcunque breve, v. g. unum mensem, nam ubicunque à lege præfigitur terminus certus, necesse est, ut præcedat notitia, cum, ut dictum, sine illa dari nequeat negligentia. Corrad. loc. cit. citans plures Rota decisiones.

3. Quare jam obijciens patronum non præsentasse in tempore (idem est de impetrante, dum nimirum impetratur beneficium juris patronatus laicorum per devolutionem ad sedem apostolicam ob non factam præsentationem intra tempus statutum, Corrad. cit. n. 74. Ubi etiam, quòd propterea male agant Executores literarum apostolicarum super provisionibus beneficiorum per devolutionem impetratorum; dum vix literis ipsis sibi præsentatis, procedunt ad collationem, non examinato an præsentator vel collator omittens præsentare habuerit veram scientiam vacationis, nec ne; cum hæc scientia determinari debeat per judicem, si vè delegatum, si vè ordinarium) debet probare, patronum habuisse scientiam vacationis; quia quamdiu hæc scientia non probatur, præsumitur ignorantia; cum credendum non sit, patronum scientem beneficii vacationem jus suum omittente, Corrad. loc. cit. num. 75. Castrop. cit. n. 3. citans Barb. ubi ante n. 136. Garc. loc. cit. n. 34. & 37. citans de super claram rota decisionem in una Firmiana altaris. 5. Decemb. 1594. Quin & scientia hujus tempus probandum est plenè; cum sit de substantia, ut Gabriel. Spino &c. paulò post citandi.

4. Scientiam verò hanc seu notitiam debere esse & probari veram, indubitatam & certam, & non sufficere præsumptam & verisimilem, eò quòd, dum agitur de puniendo negligentiam alicujus, non sufficit scientia præsumpta, etiam ex eo, quòd publicum est, tenent Corrad. loc. cit. n. 74. (et *ibidem* dicat, quòd cum paria sint scire & debere scire, ideo receptum esse currere tempus collatori à tempore, quo scire debuit) Lott. loc. cit. n. 24. citans Pureum

l. 1. in corrèct. decis. 142. n. 2. Lap. alleg. 78. n. 12. Mohed. de prob. decis. 4. Et dicens etsi olim aliter visum Rotæ decis. 1. de jure patr. in antiq. eam tamen decisionem hodie non servari. His accedunt Tiraq. de retractu. §. 35. gl. 4. n. 7. dicens, requiri veram & certam scientiam, & non sufficere interpretativam. Card. de Luca de jure patr. d. 64. n. 5. dicens non sufficere nec præsumptam, nec interpretativam, nisi facti circumstantia probent, quòd allegata ignorantia esset inverisimilis, seu ut alii vocant, crassa & supina (super quo, utpote consistente in facto, determinata regula dari non possit; cum pendeat à circumstantiis, inter quas ponderanda, an patroni essent in loco, nec ne, in eadem vel diversa dicecesi, &c.) adeò, que ut addit n. 7. invaluisse hæc opinionem, ut probabilis ignorantia impediatur lapsus termini. Paul. de Ciudad. p. 6. a. 3. n. 42. Berojus in c. quoniam, h. t. n. 52. Delphin. de jure patr. l. 2. n. 178. Grinon. &c. apud Garc. loc. cit. n. 34. dicens; requiri scientiam veram, non interpretativam. Item Hieronymus Gabriel. l. 2. cons. 185. Spino de testam. gl. 4. n. 2. 1. apud Garc. quatenus dicunt, quòd, quamvis Ordinario, qui visitare debet & perquirere, imputetur negligentia, si nesciat beneficium vacasse, cum de facto vacat; patronus tamen non debeat censeri negligens, si nesciat vacationem, tamen notam in loco vel Ecclesia beneficii ejus jurisdictioni non subjectis. Econtra sufficere scientiam veram vel præsumptam, tenent Selva. p. 3. q. 9. Garc. loc. cit. n. 38. ubi: quòd aliud sit scientia præsumpta, aliud interpretativa: neque excludi scientiam præsumptam ab AA. negantibus sufficere interpretativam. His accedunt Zerol. in pr. Ep. p. 1. v. jus patr. §. 8. du. 2. &c. dicens sufficere tempus verisimilis notitia, uti & Castrop. loc. cit. restatur plures doctores censere patrono currere tempus à die, quo verisimile, scientiam habuisse; cum raro possit esse probatio certæ scientia: hanc autem scientiam præsumptam conjecturis attentè distincta loci, in quo situm beneficium, qualitate ipsius beneficii, longitudine temporis ac vacationis fama, aliisque probandam, & à judice determinandam esse, ajunt Garc. loc. cit. n. 34. Castrop. cit. n. 3.

5. Porrò quamvis Officiales Regum sciunt vacationem, negligentiam tamen illorum non nocere Regi; quin & regi ipsi scientia vacationem non currere tempus quatuor mensium ex legitima prescriptione ex Cabedo supra docent Garc. loc. cit. n. 34. Corrad. l. 4. c. 2. n. 64. De pupillis autem vel amentibus aliisque imperfecti judicii habentibus tutorem vel curatorem, seu alium legitimum administratorem, scientiam certam tutoris, curatoris, &c. præjudicare, & lapsum termini inducere, tradit Card. de Luca loc. cit. n. 9. & eò quidem fortius, dum pupilli hæc ratione damnari non patiuntur, dum Ordinarius salvo pro aliis vacationibus jure præsentandi pupilli, providendo ex jure devoluto suppleat vices administratoris, nisi forte id redundaret in ejusdem pupilli alteriùsve sui administratoris viventis supplantationem & burfale præjudicium.

6. Ac denique, dum plures sunt patroni, unusque ex illis ignoravit vacationem (aut ei probari non potest scientia vacationis) & hinc præsentare omiserint, reliqui verò scientes vacationem præsentare omiserint, unus ille ad præsentandum admittitur, etiam post elapsum tempus præfixum aliis, aliis exclusis à præsentando. Castrop. loc. cit. citans Barb. ubi supra n. 137. Garc. loc. cit. n. 41. recitans de super claram Rota decisionem. Corrad. cit. n. 74. Dum tamen inter hos patronos sunt pupilli, eorum igno-

rantiâ, quæ resultat à pupillari ætate, non impediri in isto casu devolutionem collationis ad Ordinarium, eod quod alias Ecclesiæ & beneficia perpetuam vacationem pari cogentur, ait Card. de Luca *loc. cit.* n. 8.

Quæstio 140. Qualiter dictum tempus, quod alias per se loquendo currit continuum, seu est continuum & non utile, non currat patrono impedito?

Respondeo primò in genere; quotiescunque occurrit impedimentum legitimum, five juris, five facti (five sub initiu vacationis beneficii, five ex intervallo) impediens, quo minus patronus præsentare possit, non currit illi tempus; non enim quis sine culpa omittens quid, puniri debet. *Garc. p. 10. c. 2. n. 17. citans Abb. in c. quia diversitatem. de concess. præb. n. 3. Guttier. con. q. l. c. 28. Roch. v. honorificum. q. 28. n. 58. Boerium, Selvam, &c. Castrop. loc. cit. n. 5. citans in super Paris. de resign. l. 1. q. 13. n. 11. Menoch. &c. Barb. de pot. Ep. p. 3. alleg. 72. n. 138. Item juris Eccl. l. 3. c. 12. n. 170. citans Rebuff. de pacif. poss. n. 304. Flores de Mena. var. q. 3. n. 4. &c. Ubi varia enumerat impedimenta; nimirum legitimam patroni absentiam (quam etiam præsumi in dubio, ait Flores de Mena apud Barb. *loc. cit.*) v. g. reip. causâ, vel ut *Garc. n. 18. pro absolutione obtinenda, injustam incarcerationem, perhorrescentiam alicujus inimici, propter quem non haberet tutum accessum, vel etiam, ut Card. Luca *loc. cit.* num. 11. citans Lott. Barb. *Garc. &c. errorem, dum nimirum erroneè facta est præsentatio coram alio, quam coram quo fieri debebat. Sic & inter legitima impedimenta numerari, dum facta præsentatione in tempore de persona idonea, præsentatus acceptare noluit, seu alias citra culpam præsentantis præsentatio effectum sortiri non potuit, ait Card. Luca *loc. cit.* n. 15. citans Vivian. l. 5. c. 2. n. 27. Barb. *cit. alleg.* 72. n. 163.***

2. Respondeo secundò in specie: motâ & pendente lite, dum lis est inter patronos, quolibet prærendente sibi competere præsentationem, currit illis tempus ita, ut si intra tempus à jure datum ad præsentandum, lis non fuerit finita, & ob hanc causam omiserint præsentare, Ordinarius pro libitu suo conferre possit beneficium. *Garc. p. 10. c. 2. n. 19. iniquens durante lite super jure conferendi, seu eligendi non currit tempus, licet secus sit in patronis. Lott. l. 2. q. 6. nu. 26. (qui etiam ait, in hoc casu discordiæ super juris patronatûs pertinentia, etiam si facta fuisset præsentatio intra terminum juris, hanc elidi, & ad Episcopum devolvi collationem, si intra dictum terminum lis non finiatur. Ubi etiam eam elidi, ait, si Episcopus ex duobus præsentatis alterum præeligere non posset sine scandalo (intelligendo non scandalum facti, & quidem actionis, & cui iudex ipse occurrere nequeat.) Castrop. *loc. cit.* num. 6. & apud illum Azor. p. 2. l. 6. c. 21. q. 12. juxta c. quoniam. & c. cum te. h. t. Procreditque hoc ipsum tantum, dum nullus contententium patronorum est in possessione præsentandi, aut super possessione lis moveretur. Secus enim est, dum lis est super proprietate, & constat unum illorum esse in possessione; hic enim validè præsentare potest, juxta dicta superius. Castrop. *loc. cit.* citans Abb. Roch. Gregor. Lopez. &c.*

3. Principalem nihilominus responsionem sic limitare videtur Card. Luca *loc. cit.* num. 12. Quod

licet textus *cit. c. quoniam.* in casu litis inter patronos non terminata intra terminum datum ad præsentandum, deferat collationem Ordinario pro illa vice, non tamen id concedat, nisi urget ratio scandali, ne alias Ordinarii affectarent excitari lites, & lites excitaras non terminarent, citâque pro hoc Lap. & ait, litem inter patronos tunc precipuè facere, ut illis non currat tempus; dum colligantes patroni protestarentur; quod interim pendente lite non debeat iis currere tempus. Dum verò lis est inter patronos & Ordinarium super ipso jure patronatûs, Ordinario contendente Ecclesiam liberam, patronis sustinentibus esse subjectam, non currit patronis tempus; ne alias absque sententia Ordinarius vinceret, & patroni succumberent. Unde in isto casu Episcopus Oeconomum seu Vicarium constituere debet, quousque lis finiatur. Castrop. *loc. cit.* num. 7. citans Ricc. in pr. for. Eccl. resol. 170. num. 2. Barb. *cit. alleg.* 72. num. 140. Idem est; nimirum non currit patronis tempus; dum lis est inter ipsos præsentatos, quolibet prærendente se præferendum; debet enim tunc Ordinarius cujusque jura examinare, & pronuntiatâ sententiâ in favorem illius, qui potius jus habet, facere institutionem, & non antè, ne alias injustus sit, privando præsentatum jure quæsito. Castrop. *loc. cit.* citans Barb. ubi ante; quamvis nec tunc patroni durante lite alium tertium præsentare sine vitio attentati possint, ut Barb. *juris Eccl.* l. 3. c. 12. n. 173. citans Lancelot. de attentatis. c. 4. in præf. num. 608. Covar. *pract. qq. c. 36. num. 7. &c.* Uti nec alium in locum unius præsentati mortui sufficere, Barb. *ibidem* citans Calderin. Cassador. &c. Item dum inter patronos est discordia, non super jure præsentandi, sed super habilitate præsentati; debet enim prius hæc lis definiri; cum dubium sit de jure quæsito præsentati, & textus supra citati loquentes de contentione patronorum super jure præsentandi, non debent trahi ad jus quæsitum præsentati. Castrop. & Barb. *ll. cit.*

Quæstio 141. An, & qualiter currat patronis dictum tempus, dum intra illud nominatus ab illis intra idem tempus non consentit vel renunciat facta de se præsentationi, aut diem suum obit, aut occultum ejus vitium detegitur, ob quod facta præsentatio irritatur?

Respondeo: incipere iterum de novo illis currere illud integrum à die dissensus, renunciationis, mortis, irritationis illis notæ, ac si vacatio nova accidisset; hoc est, patronus laicus iterum habet quadrimestre totum, Ecclesiasticus semestre; dummodo nihil fraudulenter egerint. Corrad. *pr. benef. l. 4. c. 3. num. 19. citans Vivian. l. 7. c. 4. num. 30. Lamb. l. 2. p. 2. q. 1. n. 17. juxta c. si electio. de elect. in 6. nam et si hic textus expressè loquatur de electione, extendi tamen etiam eundem ad præsentationem, ait Corradus.*

Quæstio 142. A quo die incipiat currere patrono tempus, dum præsentatio faciendâ ad beneficium à primæva erectione vacans, hoc est, cui primâ vice seu primus à fundatione dandus Rector?

Respondeo: faciendam esse post, & non ante decretum erectionis beneficii, incipitque currere

tere tempus datum patronis ad præsentandum à die, vel etiam ab hora præstiti consensûs Ordinarii in fundationem beneficii patronati; hic enim consensus est causa beneficii & patronatus efficiens, illôque præstito, in continente incipit quis esse patronus; tempus autem dictum incipit currere mox, & non ante, ut actus perfectus est. Corrad. l. 4. c. 1. num. 5. & 6. citans Vivian. l. 5. c. 2. num. 25. Lamb. p. 1. l. 1. a. 9. q. 4. n. 1. Intelligendumque id pari modo de beneficiis in abstracto erectis, consentientibus in certis rebus, sub onere v. g. celebrandi tot missas in tali Ecclesia vel Capella, absque eo, quod interveniat ædificatio, dotatio, consecratio Ecclesie vel Capellæ; ex eo namque, quod spiritualia non occupant locum, possunt beneficia dicto modo erigi sub diversis invocationibus, etiam ad idem altare, & consuetudo admittit talia beneficia, quæ constant ex sola dote, efficiturque fundator ob talem fundationem in abstracto factam patronus. Corrad. *ibid.* num. 7. ex eodem Lamb. & n. 11. & seq. Hinc jam, dum beneficii erectio facienda esset auctoritate pontificiâ, & executio literarum committeretur Ordinario, qui dictâ auctoritate erigat, tempus patroni ad præsentandum non currit, nisi mox à decreto ejusdem Ordinarii continente dictam erectionem, causâ cognitâ ac precibus verificatis; non enim dici potest, illud currere à die data dictarum literarum; cum pontifex tunc non faciat erectionem, sed mandet eam fieri per Executorem. Corrad. *ibid.* nu. 9. quod si autem (uti regulariter fieri consuevit) non ab ipso Papa fieret erectio, dicereturque in prædictis literis: *Instituimus, erigimus;* cum jam tum erectio & fundatio sit perfecta, nihil est, quod minus dictum tempus incipiat currere à die data. Corrad. *ibidem.*

Quæstio 143. Num præsentatio fieri possit post terminum edicti (de quo edicto est c. in de elect. in 6. & de quo susius, ubi de tempore institutionis) & quomodo sustineatur facta pendente termino edicti?

Respondeo: cum literæ edictales seu edictum proponatur non nisi post præsentationem factam, ac præsentati acceptionem. Corrad. l. 4. c. 3. num. 19. Lott. l. 2. q. 13. num. 53. adeoque supponatur præsentationem factam per aliquem, sive ille verus, sive putativus fuerit patronus; præsentatio fieri non potest post propositum edictum, ut constat. Sed & ea est præcipua hujus edicti virtus, ut factâ præsentatione, etiam per patronum putatum, & post lapsum termini in edicto propositi, subsecutâ institutione, patronus verus & legitimus superveniat, non audiatur; sed pro ea vice præjudicium illud sibi imputet. Lott. l. 2. q. 13. num. 50. Gemin. in c. 2. de off. Vicar. in 6. Oldra. conf. 3. n. 1. Lamb. l. 2. p. 2. q. 6. a. 27. Neque illi, ut *ibidem* Lott. num. 51. suffragatur, nondum esse elapsam quadrimestre aut semestrem à jure concessum ad præsentandum (quamvis id plurimum controversum dicat ex deductis per Lamb. loc. cit. q. 1. a. 28. per tot.) cum non proponatur edictum, nisi post factam præsentationem per aliquem, & sic in eo actu præsentationis consumatur dilatio illa quadrimestris vel semestris patronis concessa, & in ipso edicto proponatur terminus contra omnes in genere. Unde, licet patrono postea comparenti non imputetur, quod non præsentaverit in termino edicti; cum edictum id non contineat; imputatur tamen, cur in

termino edicti non comparuerit, & deduxerit jus suum, ita Lott. num. 53. ex Lamb. cit. a. 28. Verum hæc procedere ait Lott. num. 54. & 55. non nisi suppositâ validitate edicti & institutionis; si enim institutio fuisset invalida, v. g. quia præcipitata aut facta contra legem fundationis, aut etiam ipso edicto existente nullo inficeretur, non foret attendenda; & nullum præstaret impedimentum; resque reputaretur integra, & deberet admitti ad præsentandum, qui se opponeret; citat pro hoc Lott. aliquot Rotæ decisiones. Nihilominus si validum fuit edictum, & sola institutio aliunde invalida, eatenus comparens post terminum edicti, admittendus est, si justum impedimentum, quod minus comparuerit intra terminum edicti, adduxerit. Lott. num. 56. citans Old. conf. 3. num. 3. & Rotam in Valentina beneficii. 31. Jan. 1622.

Quæstio 144. Num possit patronus præsentare per seipsum vel procuratorem ante obitum beneficiati, seu antequam vacet beneficium?

Respondeo negativè: nisi forte sic instituisse fundator in limine fundationis. Verum de hoc factis supra, ubi quid possit patronus.

PARAGRAPHVS III.

De mutatione & variatione præsentationis factæ.

Quæstio 145. An, & qualiter liberum sit patrono in præsentatione variare?

1. **R**espondeo primò: post institutionem legitimam nulli patrono licet mutare, seu alium instituendum præsentare; cum jam institutus habeat jus in re, nimirum in beneficio. Caltrop. loc. cit. p. 6. cum communi juxta c. quod autem. h. 1. & c. si tibi asserenti. de prob. in 6. Idque verum, etiam si realis institutio seu possessionis traditio necdum facta; cum in rebus & juribus spiritualibus per solam etiam verbalem institutionem seu collationem jus in re acquiratur; tamen si actualis immisio necdum secuta, juxta c. si tibi. de præbendis in 6. Pirh. ad h. r. n. 98.

2. Secundò: post factam nominationem re adhuc integrâ, seu præsentatione nondum factâ superiori, resiliere potest patronus, & alium præsentare, & quidem expressè de Capitulo, ubi id jus habet præsentandi, & jam capitulariter consensus in nominationem Titii: id asserit Laym. ad tit. de elect. sub initium. num. 3. secùs ac accidit in electione, ubi publicatum in Capitulo electionis scrutinium revocari amplius nequit.

3. Tertio: patronus laicus, si præsentavit indignum seu inhabilem, potest, intra tempus tamen datum ad præsentandum, corrigere errorem & alium habilem præsentare. Corrad. l. 4. c. 6. n. 41. seu mandari ei debet, ut alium idoneum præsentet. Pirh. ad hunc tit. num. 104. juxta c. cum vos. de off. Jud. Ordinar. Si enim patronus laicus mutare potest, dum præsentavit idoneum, ut paulò post dicitur; multò magis id poterit, dum inficeretur, adeoque absque culpa sua præsentavit inidoneum Pirh. *ibid.* Quod si autem monitus, aut aliunde reiciens errorem suum intra quadrimestre ipsi ad præsentandum

tandum designatum, alium idoneum non præsentavit, libera collatio ordinario collatori relinquatur, eò quòd paria sint: nullum præsentare, & inhabilem præsentare. Laym. *ad c. cum vos, de off. Ord. num. 2.* cum communis. Hoc idem, quòd nimirum, dum in scienter præsentarunt inhabilem, substituere possint alium, absque eo, quòd pro illa vice devolvatur collatio ad Ordinarium, ad patronos Ecclesiasticos extendit Barb. *juris Eccles. lib. 3. cap. 12. n. 174.* Argumento *cit. c. cum vos.* ubi etiam n. 176. quòd patronis laicis, etiam elapso tempore aliàs dato ad præsentandum, permittitur alterius idonei præsentatio, modò intra terminum aliquem præsentarint, & interim, ne Ecclesia diutius vacans dispendium patiatur, idoneus in ea Vicarius aut Oeconomus constituendus, juxta *cit. c. cum vos.* Unde etiam colligi videtur, post detectum errorem indoneitatis habere patronos illos integrum iterum tempus. Sed posse quoque patronum laicum, etiam dum scienter præsentavit indoneum, substituere alium, & non esse pro ea vice ipso jure privatum potestate præsentandi, tenet Pirh. *l. cit.* citans Fagn. *in cit. c. cum vos, num. 39.* cum gl. Imol. Archid. *in c. cum vos.* apud C. de Luca, eò quòd, cum hæc pœna privationis statuta eligentibus scienter indignum nullibi in jure intentetur præsentantibus scienter indignum, ad hos, dum laici sunt, extendenda non sit; & LL. civiles contrarium statuentes scienter præsentantibus indignum attendenda non sint, utpote disponentes in materia Ecclesiastica seu spirituali, vel spirituali annexa, scilicet de jure patronatus. Pirh. *ibid.* ex Fagn. *loc. cit. num. 46.* testante, hæc sententiam approbatam à S. Congreg. Concilii. Contrarium tamen tanquam communius receptum sequuntur Card. Luca. *de jurep. d. 47. num. 2.* & apud illum Barb. *cit. alleg. 72. num. 105.* Roch. Lamb. &c. additque etiam Card. de Luca, multò magis id procedere, & esse locum devolutioni, quando indignitas non solum provenit à dispositione juris communis, sed etiam à lege fundatoris, cujus ignorantia allegari non potest à præsentante, utpote qui ex illa suum jus metitur; cum id implicare videatur abusum facultatis sibi competentis, & consequenter delictum positivum minus excusabile, citatque pro hoc Barb. *loc. cit.* & Vivian. Idem tradit Corrad. *l. 4. c. 6. num. 31. & 41.* quamvis is sibi hoc num. 41. nonnihil videatur contradicere, dum ait: & cum patronus laicus teneatur scire qualiter requisitam in fundatione, si intra tempus datum ad præsentandum errorem non correxerit, habilem præsentando, devolutio fiat ad Superiorem; adeoque videtur supponere, non eo ipso, quòd scienter indignum præsentet, hæc devolutio fiat. Certò & indubitato contrarium dicendum de patrono Ecclesiastico, seu persona Ecclesiastica, cui comperit jus patronatus nomine Ecclesiæ, nimirum illum, ubi præsentavit indignum, non posse substituere alium, sed pro ista vice privatum (vel ut ait Pirh. saltem privandum per sententiam judicis) potestate præsentandi, collatione liberà devolutà ad proximum Superiorem. Less. *lib. 2. c. 34. num. 29.* Barb. *loc. cit. num. 175.* citans Ugol. *de potest. Episc. c. 51. §. 1. n. 6.* Gratian. *discept. forens. c. 58. n. 13. &c.* Pirh. *loc. cit.* citans Laym. *l. 4. Theol. moral. rr. 2. c. 13. num. 7.* Innoc. & Abb. *in c. cum vos.* Barbofam *in collect. ad c. cum autem. h. r.* Hanc tamen pœnam privationis pro ista vice non incurriere (adeoque quod sequitur, posse mutare) patronos Eccle-

R. Leuren. Fori Benef. Tom. 11.

siasticos, qui indignum ex sola confessione norum præsentarunt; cum hæc pœna spectet ad solum forum externum, tradit Barb. *cit. num. 176.* citans Sanch. *de matrim. l. 3. d. 16. n. 6.* Fagund. *in præcept. Eccles. præcept. 2. l. 6. c. 2. n. 7.* Vide dicenda §. seq.

4. Quartò: potest patronus laicus (contrarium est de Ecclesiastico) postquam jam præsentavit idoneum, re adhuc integrà, seu non securà adhuc institutione variare, & præsentare alium. Garc. *p. 5. c. 9. num. 211.* Barb. *loc. cit. num. 177.* citans Sanch. *in conf. mor. l. 2. c. 3. dub. 65. num. 2.* Pirh. *h. r. n. 96.* & gl. Castrop. *cit. p. 6. a. 1.* citans Paris. *de resign. l. 2. q. 23. num. 13.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 21. q. 13.* juxta *c. cum autem. h. r.* Ratio disparitatis hæc datur communiter ex Abb. & Innoc. *in c. cum autem;* quòd præsentatio facta ab Ecclesiasticis patronis videatur habere in hoc vim electionis (in quam non cadit mutatio, juxta *c. publicato. de elect.*) quatenus nimirum, ut Pirh. *loc. cit. num. 103.* hi præsentantes nomine & jure Ecclesiæ tales actus, quasi ex officio exercent, ideòque, cum officio suo semel functi sunt, acquiescere debent: quæ ratio in patrono laico locum non habet; quia is potius suo proprio jure ac nomine præsentat, ideòque fortius jus patronatus habere censetur. Sed nec obstat huic variationi, quòd per eam acceptatam & factam institutori acquisitum sit præsentato jus ad rem; id enim limitandum; modò patronus laicus voluntatem suam non mutet præsentando alium idoneum; tunc enim conceditur optio Episcopo, ut instituat, quem maluerit, sive primum, sive secundum, juxta *c. cum autem. & c. quòd autem. h. r.* acquiriturque in hoc casu utrique præsentato jus & actio, sed indeterminate solum, ita ut unus eorum ab Episcopo institui debeat. Pirh. *cit. n. 103.*

5. Verùm hæc variatio laicis aliter permessa non est, quàm cumulativè, non privativè, hoc est, quòd possint successivè nominare alium idoneum, non recedendo à prima jam facta præsentatione, seu excludendo jam præsentatum à se, sed accumulando seu adjungendo illi alterum, ita ut si primum præsentatum excluderet, secunda præsentatio esset nulla. Abb. *in cit. c. cum autem. num. 2.* Guttier. *de juram. confirm. p. 3. num. 4. & 5.* Barb. *cit. num. 177.* Castrop. *loc. cit. num. 2.* Garc. *p. 5. c. 9. num. 213.* Unde quotiescunque præsentatur secundus, non excludendo expressè primum, tamen si dicat patronus, se velle variare, intelligitur tantùm de variatione cumulativa, non exclusiva; quia præsumi non potest, velle nulliter variare & contra juris permissionem. Castrop. Guttier. Barb. *loc. cit.* Lamb. *p. 2. l. 2. q. 7. a. 22. num. 7.* Campan. &c. apud Barb. Hanc variationem cumulativam fieri posse semel tantùm, seu pro unica vice, tenent Garc. *loc. cit. n. 214.* citans Gutt. *loc. cit.* Lamb. *loc. cit. a. 23.* & plures alios. Pirh. *num. 99.* citans Fagn. *in c. cum autem. num. 8.* cum communiore; eò quòd, ut Castrop. *loc. cit. num. 3.* facultas simpliciter data, dum odiosa est, uti est in præsentati, adeoque restringenda, primo actu finitur seu consumitur, juxta *l. dotis promissa. ff. de jure dotium. & l. boves. ff. de verb. signif.* Ad hæc æquitas sic suadeat ad vitandam infinitatem & confusionem, ut Pirh. proinde etiam Clem. plures. *h. r.* dicens, plures nominari posse, intelligenda sit de nominatione plurium, non successivè, sed simultaneè faciendâ, ut idem Castrop. & Pirh. Nihilominus contrarium, nimirum posse patronum laicum, non solum bis, sed ter vel quater seu pluries, tam simul quàm successivè, quot voluerit, præ-

G

præ-

præsentare, tenent Castrop. *loc. cit.* Azor. *loc. cit.* q. 13. *in fine*. Spino. *de testam. gl. 4. num. 75.* Gl. *in Clem. plures. h. t. v. presentare.* Decius *in c. quanto. de iudiciis.* Abb. *ibidem. &c.* & alii, quos citat Castrop. qui hanc dat rationem, quod dicta accumulativa variatio, seu plurium successivè facta, & sæpius repetita præsentatio, non minùs quàm facta præsentatio plurium simul, sit utilis Ecclesiæ: quod enim offeruntur plures, eò majorem delectum habet Episcopus, ut ex illis eligere possit, quem videt Ecclesiæ aptiorem: Et licet sæpè contingat patronum, postquam præsentavit aliquem valde idoneum, postea in gratiam amici præsentet superaddendo alium multò inferiorem, non minuit dictam Ecclesiæ utilitatem; cum, præterquam, quod pari modo contingere possit, ut accumulando præsentationes & præsentatos præsentet meliorem, nunquam tollitur Episcopo potestas instituendi primum præsentatum. Castrop. *cit. p. 6. num. 3.* Quòd si autem prima præsentatio fuisset invalida, v. g. si facta coram non habente instituere, tunc sicut patronus potest præsentare secundum rejecto primo, ita potest accumulando præsentare tertium cum secundo; cum prima præsentatio, utpote nulla, non debeat computari in numero præsentationum; quia non præstat impedimentum, quod de jure non fortitur effectum, tenent pariter omnes, & expressè Pirh. *num. 99.* citans Fagn. *in c. cum auzem. num. 9.* Idem ob eandem causam ait Pirh. citans eundem Fagn. *ibidem num. 23.* fieri posse etiam in totam aliam præsentationem, recedendo à primo, & præsentando alium, & dein accumulando successivè tertium, dum à pluribus comparationis in pari numero duo sunt præsentati, eò quod utriusque præsentatio fuerit invalida; cum ad validam præsentationem requiratur, ut sit facta à majore parte patronorum.

Questio 146. An post obitum presentantis, facta jam ab eo presentatione, patronus successor variare possit?

Respondeo: si patronus successor est laicus, & adhuc duret tempus ad præsentandum, potest variare (intellige accumulando) quia dicitur una eademque persona successor cum prædecessore. Corrad. *l. 4. c. 7. n. 23.* citans Vivian. *l. 12. c. 5. n. 35.*

Questio 147. in specie: An ergo, & qualiter etiam permissum patronis laicis dicto modo variare, lite pendente?

Respondeo primò: pro fundamento ad sequentia: constitutionem, quâ Bonif. VIII. *in c. 1. ut lite pendente. in 6.* statuit, ut duobus litigantibus super electionibus de se in discordia habitis, si contingat aliquem eorum mori, vel suo juri renunciare, aut à prosecutione illius quoquo modo excludi, ad electionem aliam (lite super electione superstitis adhuc pendente) non procedatur, aliàs atrentata foret, & ipso jure irrita, idque, ut dispendiis, quæ Ecclesiæ inde patiuntur, occurratur, locum pari modo habere in præsentationibus propter omnimodam rationis paritatem, sive tractetur de jurepatronatûs Ecclesiastico, sive laico, sive contingat mors, vel alius casus ex præmissis post tempus datum ad præsentandum, sive ante illud. Lott. *l. 2. q. 20. num. 2.* Idque non per modum extensionis hujus nimirum constitutionis, sed per modum conclusionis sub dicta eadem ratione, Lot.

num. 3. citans Calderin. *conf. 1. ut lite pendente.* Lapp. *alleg. 2. num. 3.* & Rotam *decis. 306. p. 1. recent. n. 1.* & quidem etiam in tantum, ut cum à Papa impetratur beneficium litigiosum, minimè sit faciendum iuris patronatus, etsi esset alicujus Regis. Lott. *num. 4.* citans Cassad. *decis. 9. num. 5. ut lite pendente.* Id verò intelligendum, si lis sit inter ipsos præsentatos principaliter, secus si inter patronos & Ordinarium assentem beneficii libertatem. Lott. *num. 5.* citans Lamb. *l. 2. p. 2. q. 1. d. 9. n. 14.* vel inter ipsos patronos super pertinentia. Quinimò etiam secus esse, si lis sit quidem inter præsentatos, sed accessoriè ad litem principaliter motam inter præsentantes. Lott. *num. 7.* citans Archid. *in c. 2. ut lite pend. num. 1.* & Rotam *decis. 426. num. 5. p. 1. recent.* Rationem autem hujus constitutionis hanc assignat Lott. *num. 8.* non quòd beneficium, dum lis est principaliter inter præsentatos, efficiatur litigiosum, aliàs non; sed quòd, dum versamur in lite principaliter mota inter præsentatos, si mortuo uno, alter in ejus locum præsentetur, adhuc erit discutendum jus illius defuncti; secus verò, si lis sit inter patronos ad invicem, vel inter eos & defendentem, beneficium esse liberæ collationis; quia tunc jus præsentantis rapit in se jus præsentati, sive demortui, sive superstitis. Unde non militat amplius ratio dictæ constitutionis. Quæstio autem de jure defuncti ideo necessaria est, ut sciatur de jure superstitis, ne, si jam sit intrusus, in sua intrusione toleretur. Lott. *num. 9.* his præmissis,

2. Respondeo secundò: cum litigatur cum eo, qui beneficium jam adeptus est, adeoque contra præsentatum jam institutum, clarum est, patronum non posse hæc lite pendente alium præsentare. Castrop. *loc. cit. num. 4.* Garc. *p. 5. c. 9. num. 218.* juxta *c. 2. ut lite pendente. in 6.* citans pro hoc plures Rotæ decisiones & Lamb.

3. Respondeo tertio: lite adhuc pendente, sive extra, sive in Curia, institutione necdum facta, non potest patronus, etiam laicus, alium præsentare, neque recedendo à jam præsentato, neque accumulando. Argumento *c. 1. ut lite pend. in 6.* ubi licet id statuatur de electione, quòd lite pendente super alicujus electione, non possit procedi ad aliam, seu alius eligi, cum eadem tamen sit ratio; nimirum ne lite pendente aliqua fiat mutatio, & ut Garc. ne propter novos adversarios litigia prorogari contingat in grave dispendium Ecclesiæ, de præsentatione pariter est intelligendum. Garc. *num. 217.* Barb. *juris Eccles. l. 3. c. 12. num. 177.* Castrop. *loc. cit. num. 5.* citans Covar. *pract. qq. c. 36. num. 7.* Paris. *de resign. l. 12. q. 3.* Lancellot. *de attentatis. p. 2. c. 4. in pres. n. 560.* Ricc. *in pr. resol. 159. n. 4.* contra Card. *in c. pastoralis. h. t. q. ult.* Jo. Andr. *in c. 1. ne lite pend. in 6.* & alios, quos citat & sequitur Lamb. *l. 2. p. 1. q. 6. d. 12.* apud Castrop. Hinc jam in particulari, ubi lis movetur præsentato necdum instituto, de ejus inhabilitate, non potest præsentari alius, eo relicto, aut etiam ei accumulari alter. Pirh. *num. 102.* Item dum plures sunt patroni, & unus præsentavit Cajum, alter Titium, neutri patronorum licet alium subrogare. Castrop. *loc. cit. num. 4.* Item uno ex præsentatis defuncto, non licet patrono loco illius alium subrogare, quousque lis pendens finiatur; tamen aliàs, dum lis non penderet, liceret tunc, etiam patrono Ecclesiastico, alium nominare; cum nominatio facta omnino finita sit. Castrop. *loc. cit. num. 5.* Porrò procedit hæc responsio secunda tam in vacatione per resignationem vel affectuionem alte-

alterius beneficii, quam in vacatione per mortem; cum dicta ratio, ne lites prorogentur, in utroque casu pariter militet. Castrop. *ibidem*. Garc. num. 29. citans Lancell. &c.

4. Respondeo quartò: posse nihilominus patronum præsentato altero mortuo, lite nondum finita, præsentare colligantem; eò quòd id non adverteretur dispositioni cit. Text. c. 1. & 2. ut lite pend. cum hac ratione lites virentur, neq; litigantes augeantur, sed minuuntur potius; non enim creatur novus litigator, sed ille, qui ante erat, aliò extincto roboratur; quin & verba ipsius textus: *Donec contra superstites lis finita fuerit, aliis nullatenus conferantur, neque ad ea eligatur quisquam, vel etiam præsentetur*: satis declarant non esse sermone de collatione, præsentatione &c. faciendâ in aliquo ex colligantibus, sed in alio à colligantibus distincto, atque ita dispositionem dicti cap. 2. esse quidem generalem, seu generaliter intelligendam de subrogatione alterius à colligantibus; non verò excludendo pariter subrogationem ipsius colligantis; ita docent Garc. p. 5. c. 9. num. 220. affirmans à Rota pluries sic definitum. Barb. cit. num. 177. Castrop. loc. cit. num. 6. citans Rochum de jurep. v. honorificum. q. 23. num. 53. Paris. conf. 30. num. 4. Lancell. loc. cit. num. 688. &c. contra Gonz. ad reg. 8. gl. 51. num. 114. Limitat hanc responsonem Barb. loc. cit. nimirum lite pendente super beneficii titulo non licere etiam cumulando colligantem præsentare, eò quòd per illam præsentationem daretur occasio, ne lis finiatur. Crescentius etiam de jurep. decis. 8. apud Garc. num. 221. ait, non posse patronum post factam ante litem præsentationem de uno, post litem præsentare alterum colligantem, alias voces patronorum non habentem; eò quòd tunc daretur potius occasio litigandi. Vide de his plura infra, ubi: qualiter collator conferre possit lite pendente.

Questio 148. An locus quoque sit dictæ variationi cumulativæ in patronatu mixto?

Respondeo: in discordia, dum nimirum patronus laicus præsentavit Cajum, & compatronus ecclesiasticus Titium, poterit dicto modo variare patronus laicus; cum ob conjunctionem in patronatu cum Ecclesiastico non perdat suum privilegium, præcipue cum in præsentatione nulla sit conjunctio. Castrop. loc. cit. num. 7. citans Lamb. l. 2. p. 2. q. 7. a. 13. Barb. p. 3. de potest. Episc. alleg. 72. num. 166. In concordia verò, siue dum uterque eundem præsentavit, sic variare non posse laicum; eò quòd per talem concordiam videatur laicus se tacite obligasse ad perseverandum in ista voluntate, & à compatroni voluntate non recedere, tenet Castrop. cit. num. 7. citans Abb. in c. cum autem. h. t. num. 4. Tiraq. de jure primog. q. 17. opin. 11. Barb. ubi ante. &c. quin & propter eandem rationem neutri, etiam dum uterque patronus est laicus, & præsentarunt concorditer, licere variare. Veruntamen videtur intelligendum id neutri licere altero invito. Quin &, dum laicus accumulando variaret, adeoque non recederet à primo præsentato, non videtur proprie dici posse mutasse mentem suam, aut etiam recessisse à voluntate compatroni sui laici, vel Ecclesiastici.

Questio 149. Quid si juraverit patronus, se non velle variare præsentationem, an poterit adhuc postmodum contra hoc suum juramentum valide variare: dico valide; nam licite id eum non posse, sed fieri perjurum & simul infidelè, si sub juramento promisit compatrono vel nominato à se, patet.

1. Respondeo primò: si simpliciter juravit, se non velle revocare factam de Titio præsentationem, valida erit præsentatio secunda; quâ non recedendo à Titio, sed accumulando, præsentat Cajum; quia revera non revocat primam præsentationem, ita ut stante etiam secundâ illâ præsentatione, Ordinarius possit adhuc primum præsentatum instituere. Barb. cit. n. 177. citans Caltrenf. l. 1. conf. 361. num. 4. Bursatt. l. 4. conf. 369. n. 14. Lamb. p. 1. l. 2. q. 4. a. 13. num. 3.

2. Respondeo secundò: si juravit, se neque velle revocare, neque accumulare, vel etiam si simpliciter juravit, se non velle variare (quia in præsentationibus non est alia permessa & valida variatio, quàm illa, quæ fit per accumulationem; adeoque dum jurando se nolle variare per juramentum hoc primæ præsentationi adjecit firmitatem aliquam, solam illam accumulativam variationem intellexit. Castrop. loc. cit. num. 8.) secunda præsentatio accumulativa probabiliter est nulla. Covar. in c. quamvis pactum. de pactis. p. 2. s. 2. num. 5. Gutt. de juram. confirm. p. 3. c. 13. num. 13. Lamb. p. 2. l. 2. q. 7. a. 16. & alii. uti & Rota in Compostellana paroch. 20. Februarii 1630, quos, & quam citat, & sequitur Barb. uti & Castrop. loc. cit. qui tamen posterior ait, se potius moveri auctoritate comunis sententiæ, quàm ratione, utpote minus efficace: hanc tamen dat utriusque rationem, quam Castrop. dicit, etsi non convincat, esse tamen satis probabilem, & suppositâ auctoritate Doctorum tenendam in judicando & consulendo, quòd licet regulariter sustineatur, & validus sit actus gestus contra juramentum; sic v. g. si quis juraverit, se non revocaturum procuratorem, revocatio facta contra hoc juramentum est valida. Covar. in rubr. de testam. p. 2. num. 15. Si celebrans sponsalia juret se non ducturum aliam, matrimonium cum alia est validum. c. sicut ex literis. de sponsalib. Si is, ad quem spectat collatio libera beneficii, juravit se non collaturum illud nisi digniori, valida est collatio, quâ illud confert digno præterito digniore. Selva. p. 3. q. 27. Covar. apud Castrop. Quin &, si vacante beneficio ante factam præsentationem patronus juravit, se alium non præsentaturum quàm Titium, adhuc validè præsentaret Cajum, ut Castrop. *ibid.* (qui tamen n. 9. quoad hoc ultimum exemplum aliam etiam dat disparitatem de juramento confirmante præsentationem primam jam liberè factam, & juramento impediende libertatem primò præsentandi) actus tamen qui ad sui perfectionem non pender à sola voluntate facientis, sed vel infringitur à jure, vel expectat approbationem & factum judicis, vel ad sui valorem requirit auctoritatem, vel præsentiam superioris (qualis est actus præsentationis, utpote, quæ fieri debet necessariò apud habentem instituere ut superiorem; cum, ut Lott. l. 2. q. 18. n. 26. Corrad. l. 1. c. 5. num. 175. denotet subjectionem præsentati respectu instituentis; & secundum plures ad sui perfectionem & valorem tanquam partem requirit acceptationem instituentis) ita firmatur per accidens

dens seu cadens super eum juramentum, ut irrevocabilis fiat, juxta gl. & text. c. licet mulieres, de jure jurando, in 6. impeditque dictum juramentum, ut Barb. & Castrop. ne habens instituire auctoritate sua actum factum contra dictum juramentum approbare possit, ne sit perjuri cooperatores; & si celetur factum de super juramentum, actus tanquam dolosus & subreptivus reddatur invalidus; ad quod tamen postremum ait Castrop. ex nullo constare, quod propter relationem juramenti talis presentatio reddatur subreptitia; cum hæc non videatur qualitas necessarii exprimenda; uti nec quoddam ob antecedens juramentum reddatur invalida secunda presentatio; dum hæc, eo non obstante, ab Ordinario admittitur. Unde etiam ait Covar, Lopez, Martienz. &c. admittere non obstante juramento, validam esse secundam presentationem, si expressè vel tacitè eam approbaverit Ordinarius.

3. Porro illud hic observandum ex Card. de Luc. de jurep. d. 43. num. 10. quod, quoniam id, quod dictum est, juramentum reddere invalidam secundam presentationem, dispositum est in gratiam ejus, cujus favore adjectum est juramentum, ipso non curante vel relaxante, non videri, quid prohibeat, quod minus talis secunda presentatio sit valida, citatque pro hoc Rotam.

Questio 150. Num etiam simplex promissio de non variando invalidet pari modo secundam presentationem?

Respondent affirmativè Castrop. cit. num. 7. citatque Lap. allegat. 78. nu. 4. Gurtier. cit. n. 13. & Gregor. Lap. eò quod facta promissione cedat quis juri, quod habebat ad variandum.

Questio 151. Num si quis retento patronatu cesserit juri presentandi, possit dicto modo variare?

Respondeo affirmativè: Castrop. num. 10. eò quod dupliciter fieri possit hæc cessio retento patronatu. Primò: si quis potestatem presentandi alteri sine limitatione committat. Secundò: si tantum pro illo beneficio vacante quomodocunque quis cedat; utraque autem hæc cessio juris presentandi, retento patronatu, aliter fieri non potest, quam constituendo procuratorem; sed hunc revocare quis possit validè, etsi juraverit, se non revocaturum.

PARAGRAPHVS IV.

De personis presentandis.

Quæres 152. in genere: An, & qualiter patronus presentare debeat habilem?

Respondeo primò: tenetur presentare idoneum, hoc est habentem omnia requisita, tam quæ ex natura beneficii, quam quæ ex lege foundationis desiderantur. Lessl. l. 2. c. 34. n. 29. Card. Luc. de jurep. d. 64. num. 28. cum communi. Peccare etiam patronum mortaliter, qui indignum presentat, eò quod muneri suo non satisfaciatur, & Ecclesiæ creetur magnum incommodum; adeoque etiam teneri patronum inquirere in vitam & mores Clerici, antequam eum presentet, tradit Pirh. h. t. n. 45. ex Azor. quem citat p. 2. l. 6. c. 21. q. 4.

2. Respondeo secundò: requiritur, ut presentandus dignus & idoneus sit tempore presentationis. Pirh. loc. cit. citans Barb. in c. significavit. h. t. n. 8. Non tamen prohibitum est presentare inhabilem sub conditione habilitatis seu capacitatis, modò hæc intra juris terminum superveniat, ac verificetur; cum censeatur presentationem facere de hoc tempore, quo conditio purificatur, Card. Luc. in sum. juris. num. 109. (ubi tamen id limitat hoc modo: nisi agatur de præjudicio illius habilis, cui secutà vacatione jus quæsitum esset, quod per supervenientem alterius habilitatem tolli non debeat) & de jurep. d. 45. num. 7. atque ita presentari poterit inhabilis sub conditione impetrandi dispensationem super aliquo requisito à jure vel lege fundatoris, Corrad. l. 4. c. 6. num. 28. vide dicta supra de presentatione conditionata. Veruntamen melius faciet patronus differendo presentationem ad ultimum usque diem, vel horam termini à lege præfinitæ presentandum; atque ita expectando capacitatem personæ sibi placitæ, quæ ob superventam capacitatem possit validè presentari; cum non inveniatur in jure cautum, ut illi secutà vacatione teneatur presentare, vel nominare eum, qui tunc capax & habilis reperitur; nam licet in beneficiis Ecclesiasticis non detur illa suspensio, quæ datur in fideicommissis (de quo vide Card. Luc. tit. de fideicommissis d. 7. & 8.) id tamen intelligitur ultra terminum à jure præfinitum, ac pro magis diuturna vacatione, non autem ipso termino durante. Card. de Luc. de jurep. d. 45. num. 8. Licet autem hoc modo differre possit presentationem, & expectare capacitatem, ad hoc tamen non tenetur, nec cogi potest. Card. Luc. ibidem: Ex quibus sequi videtur, quod, dum patronus vi foundationis tenetur presentare alicum de certa familia, is autem non nisi ad finem termini dati ad presentandum sit capax, non teneatur patronus expectare, sed possit precipitare presentationem, & primo etiam mense à vacatione beneficii presentare alium capacem; etsi is non sit de familia. Porro in genere illos omnes incapaces esse ad hoc, ut presentari possint, qui incapaces sunt institui; & sic presentari non posse illegitimos, neophytos, servos, excommunicatos, irregulares, ait Castrop. loc. cit. p. 7. num. 1. circa quod revidenda, quæ dicta sunt de incapacibus eligi, aut aliter promoveri ad beneficia Ecclesiastica, quorum plura & hic locum habent.

Questio 153. An, & quando, seu qualiter privetur patronus jure presentandi ob presentatum inhabilem?

Respondeo: quotiescunque patronus scienter presentavit indignum, vel incapacem ad modum electionis factæ de indigno vel incapace non solum actus presentationis est, & remanet infectus, seu malus, sed etiam pro ea vice privatus est potestate presentandi; devolviturque collatio ad Superiorem. Card. Luc. in sum. juris. num. 109. cujus tamen contrarium de patrono laico tenet Pirh. supra citatus: ubi quando variare possit patronus. De cetero, præscindendo à dicta positiva scientia indignitatis, tenet Lessl. l. 2. de just. c. 34. num. 18. neque patronum laicum, neque Ecclesiasticum, dum presentantur indignum, pro ea vice privari potestate presentandi: Rationem dat, quod, licet in Authent. de sanctiss. Episc. dicatur: patrono presentante indignum, debere Episcopum procurare,

ut dignus instituat, id tamen optimè intelligi possit de procuratore per sollicitudinè & mandatum; sollicitando nimirum & mandando patrono, ut dignum præsentet, uti hunc textum explicat Jo. Andr. Item quòd constituitur in c. in cunctis. de elect. loquatur de Electoribus, & quidem Episcopi, adeoque, cum sit pœnalis, extendenda non sit ad patronos. Ac denique quòd patronus tam laicus, quàm Ecclesiasticus præsentatum examinandum & approbandum remittit Ordinario juxta Trid. sess. 7. c. 13. adeoque in culpa non sit, quòd nominari indignum, & consequenter privandus non sit potestate præsentandi alium; si præsentatus repudietur, quia præsumi non debet culpa in tali præsentatione; esto enim quilibet præsentans videatur teneri aptitudinem præsentandi cognoscere, id tamen limitandum hoc modo; nisi alteri à patrono cognitio aptitudinis præsentati remissa sit, ut in præsentati à Trid. ea remittitur Ordinario. Hanc rationem approbat Castrop. cit. d. 2. p. 7. num. 8. & fatetur eam efficacem esse ad probandum, quòd quoties per patronum laicum non steterit, quò minus intra quadrimestre aptitudo præsentati ab Ordinario explorata sit, posse illo repulso præsentare alium, Quin & addit, idem dicendum de patrono ecclesiastico ob dictam rationem, nimirum, quòd si intra semestre præsentatus ab habente instituere fuerit repulsus, possit præsentare alium, & minimè privandus sit pro ista vice potestate præsentandi; eò quòd non sibi, sed instituenti sit commissa exploratio aptitudinis præsentati. Addendumque insuper dicit, quòd, cum in beneficiis curatis non possit patronus ecclesiasticus nominare, nisi ex approbatis ab Ordinario, non possit habere culpam in nominando indigno; cum indignum nominare nequeat; dum omnes judicati digni ab Ordinario. Ac denique num. 9. ait Castrop. solum in hac doctrina excipi posse, si Episcopus esset patronus, & nominaret Clericum suæ diœcesis instituendum ab Episcopo alterius diœcesis; cum enim talis nominatus, utpote subditus Episcopi deberet eidem esse cognitus, ac proinde nominans indignum in culpa foret; & hinc ait censere graves Auctores, in hoc casu non debere talem nominatum ab Episcopo, examinari ab Episcopo instituyente, sed ipsam nominationem esse approbationem, citatque pro hoc Abb. in c. significasti. h. 1. & Azor. p. 2. l. 6. q. 21. num. 17.

2. Porro his addendum primò: quòd necessarium sit, ut Episcopus seu institutor mox significet patrono, præsentatū indignum esse. Et si patronus contendat dignū & idoneū esse, providere non posse Episcopum, donec ea lis decidatur, sed interim cogitur Oeconomum constituere, Laym. ad c. cum vos. de off. jud. Ordinar. num. 2. citans Jo. And. & Imol. in cit. c. cum vos. Secundò: si proponatur indignitas ex aliquo crimine canonico, requirit sententiam condemnatoriam pro tali crimine in specie, ita ut non sufficiat, delictum fuisse perspectum & secutum condemnationem, sed exigatur condemnatio pro ipso delicto. Lott. l. 2. q. 6. n. 29. ubi etiam, quòd pro æstimanda omni alia indignitate perpetuò sit procedendum secundum distinctiones & declarationes, quas in unum collegit Lamb. l. 2. p. 1. q. 10. a. 4. num. 21. Tertid: quòd ubi devolutio ob non præsentatum idoneum fit ad superiorem, ea fiat cum omnibus suis qualitatibus, hoc est, is non possit conferre beneficium, nisi tali, si adit, qualè requisivit fundator. Corrad. l. 4. c. 6. n. 41.

P. Leuon. Fori Benef. Tom. II,

Quæstio 154. Qualiter patronus teneatur præsentare digniorem?

1. Respondeo primò: dum præsentatio facienda est de persona determinati alicujus collegii, civitatis, loci, familiæ &c. sufficit, si patronus præsentet idoneum de tali loco, collegio &c. etiamsi extra sint magis idonei; justæ enim, & servandæ sunt leges statuentes, ut aliqua certa beneficia obveniant solum personis ex tali loco, genere &c. cum id spectet ad bonum commune. Bass. to. 2. v. benef. §. 5. num. 12. Quòd si in tali collegio, familia &c. duo sunt, unus idoneus, & alter magis idoneus, debet præsentare magis idoneum; alioquin non videretur fidelis erga Ecclesiam, nec in officio sibi commissio utiliter agere negotium Ecclesiæ, quæ illud ipsi commisit. Bass. ibid. qui etiam ait idem esse, ubi præsentatio est omnino libera; quamvis dicat non improbabile, patronum laicum non teneri præsentare digniorem, etiam ad beneficia curata, cum Trid. sess. 24. c. 18. mandet, præsentandos à patronis laicis examinandos & approbandos ab Examinatoribus synodalibus; unde, cum non ardet patronos ad præsentandum digniores, neque nos ardet debemus. Item cum Trid. non irriter præsentationem digni factam à patrono laico, & illa valida sit, etiam in conscientia teneatur illam Episcopus confirmare, seu præsentatum instituere, & si nollet, posset cogi à superiore. Bass. ibid. citans Dian. p. 2. tr. 15. resol. 37. Garc. p. 7. c. 16. n. 19.

2. Verum tamen Garc. cit. c. num. 2. ait docere Theologos communiter promoventem, eligentem, præsentantem dignum omisso notabiliter digniore peccare mortaliter, licet provisio, electio, præsentatio talis sit valida, citatque pro hoc D. Th. 22. q. 63. a. 9. & quodlib. 8. a. 6. Sotum. de jure & just. l. 3. q. 6. a. 2. & l. 10. q. 2. a. 3. Valent. To. 3. d. 5. q. 7. p. 2. num. 2. Nau. in man. c. 17. num. 73. Azor. p. 2. l. 6. c. 15. q. 18. & c. 21. q. 5. Paris. de resign. l. 4. q. ult. n. 35. Abb. Decium, Covar. & plurimos alios, contra gl. in c. licet, & c. monasterium, 16. q. 7. Imol. Franc. Roch. quos citat n. 11. sentientes contrarium Rationem dari, quam dicit esse communem Theologorum, quòd violetur hoc modo justitia distributiva, & committatur peccatum acceptionis personarum illi oppositum, quòd ex genere suo est mortale; cum beneficia sint bona communia & præmia meritorum. Addit & aliam ex Soto, Aragon. Salon. Bannez & Rebello de oblig. iust. p. 1. l. 3. q. 4. n. 11. & 11, quòd violetur etiam justitia commutativa; cum beneficia sint instituta in stipendium laborantium, & Elector seu provisor (idem est de præsentatore) beneficiorum non sit Dominus, sed dispensator & administrator institutus in bonum Ecclesiæ, teneatur ex officio & fidelitate debita Ecclesiæ, adeoque ex justitia commutativa consulere Ecclesiæ, providendo ei optimum ministrum.

3. Limitant hanc doctrinam Guttier. can. 99. l. 2. c. 11. num. 12. & 28. addens, quòd si aliud dicatur, prælatos fore omnes in statu damnationis, providentes beneficia simplicia dignis, prætermisissis dignioribus. Nav. Ledesm. Vega & alii, quos citat & sequitur Garc. loc. cit. num. 16. & 17. Sub mortali ad Episcopatus & beneficia curata ex præscripto Tridentini esse eligendos digniores; non verò ad simplicia, nisi aliqua lege vel constitutione particulari, aut juramento aliud cautum sit in beneficiis simplicibus; eò quòd hac, ut Garc. num. 23. & 24. non sint bona communia aut præmia me-

G 3

nito-

ritorum, & non violetur etiam iustitia distributi-
va, nisi Ecclesia expressè præcipiat suis dispensa-
toribus, ut ei dent optimos & magis idoneos mini-
stros, sed satis impleant officium suum & fidelita-
tem, procurando ministros idoneos. Addit quo-
que Garc. num. 18. & 19. procedere id quoque in
patronis Ecclesiasticis, quin & videri probabile
in patronis laicis sufficere, dignum præsentare et-
iam ad curata, citatque pro hoc Lamb. p. 1. l. 2.
q. 10. d. 3. num. 17. Rodriq. in sum. To. 1. c. 106. nu-
8. Ledesin. in sum. p. 2. rr. 7. c. 2. conclus. 79. Bannez
&c. dans rationem ex Trid. juxta paulò suprà re-
lata ex Bassaz, argumenta in contrarium solvit à
num. 20. Idem absolutè docet Castrop. cit. d. 2. p.
7. num. 6. Nimirum patronum Ecclesiasticum ad
beneficia simplicia, & laicum nequidem ad cura-
ta teneri eligere digniorè; citat pro hoc Pet. Na-
var. de restit. l. 2. q. 10. d. 3. num. 17. Paulò aliter
prædictam sententiam limitat Less. l. 2. c. 34. du. 14.
apud Garc. num. 15. dum docet esse mortale elige-
re, postulare, præsentare (idem est de collatione
libera) dignum omisso digniore ad beneficia ha-
bentia curam animarum, vel aliam functionem
magni momenti; in aliis verò, ut Canonicatibus,
capellaniis semel vel bis prætermittere digniorè,
non esse mortale; cum id non censetur nota-
bile incommodum, aut notabilis injuria in Eccle-
siam (paucorum enim mediocritas aliorum vir-
tute facile compensatur) nec sit propriè injuria
dignioris: Secus verò esse, seu esse peccatum mor-
tale contra fidelitatem Ecclesiæ debitam, si quis
passim id faciat, etiam in his beneficiis, & rarò
euret, ut digniores præferantur. Porò qualiter e-
ligens dignum prætermisso digniore teneatur illi
vel Ecclesiæ ad restitutionem, vide Garc. à num. 26.
& dicta à nobis alibi.

*Questio 155. An, & qualiter, etiam dum
unus patronorum præsentat indignum, de-
volvatur collatio ad superiorem?*

Respondeo: dum plures sunt patroni, penes
quorum singulos in solidum est jus patrona-
tùs, exercitiumque solum divisum est inter plures,
& per unum eorum præsentatus est indignus, aliis
non nocet hujusmodi præsentatio, & minimè de-
volvitur collatio ad Superiorem. Proceditque et-
iam si plures patronorum præsentassent indignum;
non enim possunt ii, qui nondum præsentarunt, aut
præsentarunt dignum, puniri ex delicto alterius,
aut aliorum; cumque jus patronatùs singulis in so-
lidum in sit, nec inter se faciant partes aliter, quam
per concursum seu exercitium præsentandi, totum
hoc jus etiam in uno, nimirum non præsentante in-
dignum solidatur per jus non decrescendi. Lott. l.
2. q. 6. num. 30. & 32. citans Lamb. cit. q. 10. d. 3. nu.
10. & l. 2. p. 2. q. 4. d. 5. n. 4.

2. Quin etiam idem est, sive non sit devolutio,
etiam si præsentans indignum habuisset mandatum
(indeterminatum tamen) ad præsentandum ab al-
lio compatrono; cum, ut gl. & Imol. in c. dilecto.
de præb. Mandatum non debet trahi ad factum, unde
mandans incidat in poenam; dum enim verisimile
non est, datum esse mandatum ad præsentandum
indignum, sed potius dignum, si illud aliter inter-
pretaremur, extenderetur actus ultra intentionem
agentis, quod non est dicendum, adeoque semotà
omni culpà mandantis, is non potest puniri ex de-
licto alterius patroni mandatarii. Lott. loc. cit. num.
32. juxta Rotam in Verzell. Capellan. 19. Jun. 1656.

*Questio 156. in specie: An, & qualiter pa-
tronus præsentare debeat proximiorè?*

Respondeo dum lex fundatoris in jure patro-
natùs passivi non vocat proximiorè, sed so-
lum mandat præsentari aliquem de sua parentela,
vel de certo genere; habens potestatem præsen-
tandi satisfacit præsentando unum de genere, quam-
vis remotiorè. C. Luc. de jure patro. d. 45. num. 3.
idipsum probabilitate non carere ait Castrop. de
benef. d. 4. p. 9. nu. 5. eò quòd, dum fundator dixit,
ut patronus provideat unum de consanguineis, vi-
deatur electionem reliquisse ejus voluntati, & ta-
citè dixisse, ut præsentet, quem maluerit. citat pro
hoc Rodriq. in sum. To. 1. c. 106. et si dicat contra-
rium; nempè quod in eo casu teneatur patronus
eligere proximiorè, esse sententiam communem;
eò quòd tunc intelligatur electio non voluntati,
sed iudicio & arbitrio patroni commissa, quod re-
gulatum esse debet, ac proinde eligendus, quem
fundator præsumitur magis diligere, qui est ei pro-
pinquior. pro hac communi sententia citat Garciam
p. 7. c. 15. num. 17. Gutt. can. 99. l. 15. c. 11. num. 38.
& conf. 26. num. 11.

2. Si verò lex fundatoris habet, ut in parentela
seu descendencia proximior præsentetur, is neces-
sariò præsentandus est. C. Luc. loc. cit. num. 6. sed
& proximior fundatoris, non verò proximior ul-
timi possessoris beneficii est eligendus; quia be-
neficium non successione hereditaria, & quasi ma-
joratus ad hæredes transfertur, sed ex collatione
Ordinarii, spectatà voluntate fundatoris, quæ sem-
per præsumitur esse de sibi propinquiore Castrop.
loc. cit. num. 6. citans Lamb. l. 2. p. 3. q. 5. d. 4. nu.
12. & 15. Garc. p. 7. c. 15. num. 20. Valf. de restitu-
t. c. 8. §. 3. du. 2. num. 48.

3. Quòd si sint duo aequè propinqui, unus de-
scendens per lineam masculinam, alter per femini-
nam, stare penes patronum eligere, quem maluerit;
& non teneri illum præferre descendentem per li-
neam masculinam; eò quòd in beneficiis non tra-
ctetur de conservanda agnatione, tenet Garc. p. 7.
c. 15. num. 21. apud Castrop. loc. cit. num. 7. et si is
contrarium existimet verius; eò quòd consanguine-
us per lineam masculinam semper præsumatur
magis dilectus & affectus fundatori, utpote qui ejus
agnationem excellentiori viâ conservat. Unde et-
iam docet idem Castrop. num. 8. & apud illum Ze-
vallos in com. contra communitatem q. 265. num. 13. Lo-
pez contra Garc. p. 7. c. 15. num. 22. quòd dum u-
xor & maritus ex bonis communibus fundant
capellaniam conferendam utriusque consanguine-
is, præferendus sit in gradu æquali consanguine-
us mariti, eò quòd maritus in fundatione vide-
atur præcipua portio; nisi fortè consanguinei u-
xoris prius nominati essent, eò quòd tunc ex scrip-
turæ nominatione prævia colligatur mens mariti
fuisse, ut consanguinei uxoris præferantur. Castrop.
loc. cit. num. 9. citans Felin. in c. dilata. de rescrip-
t. num. 4. & seq. Gutt. conf. 26. num. 10. Gomel. to. 1.
var. c. 2. num. 2.

4. Porò computationem proximitatis facien-
dam esse potius secundum jus civile, quam Cano-
nicum, censet Castrop. num. 10. citans Garc. ubi ante
num. 25. nisi fortè fundator consanguineos intra
quartum gradum determinasset; quia tunc ratione
hujus determinationis canonicam computationem
videtur attendisse, in qua solum Consanguinitas
ad quartum gradum extenditur. Pari modo, quæ
hic

hic dicuntur de præsentatione, accipienda quoque sunt de collatione, ubi fundator absque eo quod beneficium subiecerit ulli jurispatronatus, constituit conferendum consanguineo suo.

5. Denique illud hic notandum: Semper proximior intelligitur ille, qui est habilis tempore præsentationis, etiamsi aliàs, ardentè numeratione graduum, sit remotior; & superueniens habilitas aliàs quoad gradus proximioris, quoties agitur de iis, quæ stare non possunt in suspenso, non tollit jus quæsitum remotiori. C. Luc. *ibid.* num. 6.

Questio 157. An ad beneficium, quod fundator reliquit pro suis consanguineis, præsentari possit illegitimus, aut illud conferri illegitimo; si is aliàs habilis sit, & ad obtinenda beneficia Ecclesiastica dispensatus?

Respondeo: legitimo non solum à Papa (cujus legitimitas præstat in rebus Ecclesiasticis, quidquid vera naturalis legitimitas præstaret, ut Castrop. *loc. cit.* num. 11.) sed & à principe seculari, conferri potest beneficium tale, si aliàs habilis sit, & dispensatus ad beneficia consequenda; esto enim, secularis princeps legitime possit solum ad temporalia; concedens tamen legitimitatem ad temporalia, hoc ipso illegitimum facit esse de familia, genere, & parentela fundatoris, adeoque habilem reddit, ut accedente dispensatione, beneficium tale relictum consanguineis consequi possit. Castrop. *ibid.* citans pro utroque Garc. p. 7. c. 15. num. 46. Nihilominus spectato jure communi inspicienda esse verba fundatoris, qui si usus fuerit verbis juris seu civilibus (qualia sunt dum usus fuit verbis vel nomine familia, cognationis, stirpis, consanguinitatis, utpote quæ verba à jure inventa sunt) locum non esse tali illegitimo, etsi aliàs dispensato; secus si fundator usus verbis naturalibus seu naturæ, & naturaliter cognationem significantibus, dicendo v. g. *providendum aliquem ex suis descendens*, docent Garc. *loc. cit.* num. 39. Perez de Lara l. 2. de capell. & annivers. c. 25. num. 25. uti regulariter, ut iidem auctores, præsumendum est, illum usus verbis naturaliter significantibus, utpote quæ in dispositione hominis attenduntur, quando aliud expresse non constat. Castrop. tamen ex Gonz. gl. 5. à. num. 123. ait spectandum esse communem loquendi modum, & an materia subjecta petat excludi, vel potius admitti spurium; adeoque adhuc admittendum esse spurium & illegitimum aliàs habilem ad beneficium relictum pro iis, qui sunt de genere & cognatione fundatoris, eò quod licet hæc verba sint civilia; quia tamen ex communi modo loquendi, & materia subjecta non excluditur, debet admitti.

2. Porro existentibus legitimis, nunquam potest eligi seu provideri illegitimum, etiamsi propinquior, tradit Castrop. *loc. cit.* n. 13. citans Gutt. 99. præf. l. 2. q. 67. num. 4. Peregrin. de fideicom. tr. 22. num. 89. Man. Rodriq. to. 1. sum. c. 106. num. 4. contra Garc. p. 7. c. 15. num. 53. admittentem cum Gonz. gl. 5. num. 124. dum in gradu æquali stant legitimus & illegitimus, hunc admitti non posse, num. tamen 47. dicentem præferendum illegitimum, ubi fundator dixit, proximiori consanguineo conferendum beneficium. Rationem dat Castrop. quod legitimus remotior nobilior sit quolibet propinquiore illegitimo, & propinquitas proveniens ex legitimitate, quamvis remotà, vincat quamlibet

propinquitatem illegitimi. Vide de his plurà, ubi de jure, gentilitio.

Questio 158. An, & qualiter presentatus debeat esse clericus, & incedere in habitu clericali?

Respondeo ad primum: certum est de jure, quod laicus non possit præsentari in beneficio Ecclesiastico C. Luc. de jurep. d. 46. num. 4. citans Vivian. l. 6. c. 3. num. 12. Sicut enim laicus non est capax collationis, ita nec præsentationis, licet velit se promovere; & sicut quis esse debet clericus tempore dictæ collationis, ita & tempore præsentationis. Lamb. l. 2. p. 1. q. 7. a. 2. num. 15. & a. 7. num. 7. & a. 29. apud Corrad. l. 1. c. 5. num. 111. Unde etiamsi quis habeat aetatem legitimam ad beneficium simplex obtinendum, ad illud tamen præsentari nequit, & est præsentatio invalida; si actu non sit clericus, licet in continenti mox à præsentatione fiat clericus. Corrad. *ibid.* num. 109. & seq. (tamen si idem Corrad. l. 4. c. 6. num. 31. dicat: non prolix tamen excludi laicum, qui præsentari possit, cum expressa tamen conditione, quod teneatur quamprimum assumere clericatum; eò quod licet laicus sit beneficiorum incapax; idipsum tamen limitatum fuerit per Rotam in Vna Imol. jurispr. 19. Nov. 1584. coram Orano, in qua dictum, id non procedere, ubi præsentatus laicus de proximo tamen clericandus; quia hoc casu præsentatus non est penitus indignus, cum ante institutionem fiat clericus) Garc. p. 7. c. 1. num. 25. citans Lamb. cit. q. 7. a. 2. & a. 7. & 29. Hojedam de incom. p. 1. r. fin. nu. 72. Gutt. conf. 2. nu. 21. & c. qui cum Garc. num. 31. id intelligunt, nimirum præsentationem esse nullam & factam de indigno & incapaci, dum non habens primam tonsuram præsentaretur absolute; eò quod clericatio subsequens, etiam de proximo, non possit retrahi ad tempus præsentationis, in quo requiritur capacitas & habilitas præsentati; cum ex præsentatione jus ei quaratur ad beneficium. Tenent proinde hi AA. allatam paulò antè à Corrad. & aliis ex Rota limitationem tunc solum procedere, quando proximè clericandus expressè vel tacitè præsentaretur in tempus, quo esset clericus, & sic in tempus habile, quo casu præsentato facto clerico intra tempus datum ad præsentandum, præsentatio valeret ex tunc Garc. num. 28. ex Lamb. l. 2. p. 2. q. 3. a. 9. Sic autem dicendum tacitè præsentari in dictum tempus illum, quem patronus præsentaret, non absolute, sed dicendo: *presento talem de proximo clericandum: vel presento talem, & peto ei dari primam tonsuram*; ait Garc. num. 29. & juxta hæc accipiendam illam S. Congregationis concilii declarationem ad c. 10. sess. 7. quæ dicit: Vicarius capituli sede vacante intra annum concedere potest dimissorias ad primam tonsuram ei, qui est præsentatus à patronis laicis ad beneficium Ecclesiasticum juris patronatus ipsorum.

2. Porro responsionem nostram procedere quoque de clerico conjugato, & eum incapacem esse, ut præsentetur ad beneficium Ecclesiasticum, utpote qui reputatur laicus in omnibus, præterquam in privilegio canonis & fori in criminalibus juxta c. unicum. de clericis conjugatis. in 6. tradit Corrad. cit. l. 1. c. 5. num. 113.

3. De cetero valet præsentatio facta per literas vel instrumentum de eo, qui tempore factæ hujus scripturæ seu nominationis non erat clericus; modo, dum hæc scriptura actu exhibetur superiori, sit

clericus, quia non ista nominatio vel scripturæ confectio, sed illius coram habente instituere exhibitio est verè præsentatio. *Garc. num. 32.* ubi ostendit de tali præsentatione seu potius nominatione loqui citatam paulò antè decisionem Rota.

4. Respondeo ad secundum: clericus non incedens in habitu & tonsura clericali non est inhabilis ad obtinendam præsentationem; cum id nullibi in jure cautum sit. Sed neque Trid. aliquid circa hoc innovavit. Dispositio vero Sixti V. loquitur, non de præsentatione, sed institutione. *Corrad. l. 4. c. 6. num. 32.*

Questio 159. An, & quando præsentatus habere debeat aetatem requisitam à Trid. ad consecutionem beneficii, ad quod præsentatur?

Respondeo: debere adesse illam aetatem non solum tempore collationis, institutionis, sed etiam electionis, præsentationis, impetrationis, quibus jus ad beneficium acquiritur; quia verè sic electus & præsentatus beneficium obtinet, & concilium consecutionem verbis generalibus prohibet ante aetatem ab ipso statutam. *Castrop. r. 13. de benef. d. 4. p. 3. num. 20.* citans *Nav. conf. 2. num. 1. de atate & qualitate. Barb. de pot. Ep. p. 3. alleg. 60. num. 78.* *Valq. de benef. c. 3. §. 2. du. 3. num. 23.* ubi etiam addit, idem esse de tempore oppositionis, seu quo quis legitime se opponere potest, citatque pro hoc *Gutt. conf. 44. num. 7.* *Zevall. q. 693. n. 7.* *Perez de Lara.* Proinde præsentatio non secus ac collatio beneficii facta de eo, qui legitimam aetatem non habet, est irrita, utpote de persona inhabili, & contra formam à Concilio statutam. *Castrop. ibid. num. 21.* citans *Paris. de resign. l. 4. q. 9. num. 20.* *Ugol. de off. Episc. c. 50. §. 8. num. 3.* *Azor. p. 2. l. 6. c. 5. q. 12.* *Garc. & c.* Unde & illud sequi videtur, habere locum etiam in præsentatione, quod *Corrad. l. 3. c. 7. num. 5.* & alii passim tradunt de imperatione seu provisione beneficii; nimirum, quòd si quis tempore suæ impetrationis, seu provisionis, licet minor aetate requisita reperitur dispensativè promotus ad sacros Ordines, etiam presbyteratus, quos tale beneficium, quod impetrat, requirit, adhuc impetratio & provisio sit nulla.

Questio 160. magis adhuc in specie: An, & quando minores 14. annis (quæ est aetas jure novo Tridentini requisita ad beneficia simplicia, & de cetero etiam locum habet, etiam si ea sint juris patronatus, etiam laicalis. Luc. de jurep. d. 20. n. 3. Barb. juris Eccl. l. 3. c. 12. n. 157.) possint præsentari?

Respondeo primò: posse præsentari, quin & institui in beneficio minorem 14. annis, quin & puerum & infantem, ubi fundator in limine foundationis sic constituisset; cum enim lex vetans pueris conferri beneficia ecclesiastica sit variabilis, veluti à mero jure positivo dependens, juxta *c. 2. & 3. de atate & qualitate.* esset hæc constitutio fundatoris valida, nec ei derogatur per Trid. ut declaravit S. Congregatio Concilii. *Barb. loc. cit. num. 158.* *Garc. p. 7. c. 4. n. 9.* *Corrad. l. 4. c. 6. num. 23.* citans *Barb. de potest. Episc. alleg. 60. n. 73.* & plures Rotæ decisiones. *Lott. l. 1. q. 32. num. 34.* qui etiam ait, id procedere, etiam si fundator aliàs voluisset beneficium esse sacerdotale, prout *Rot. decis. 14. de testam. in antiquis.*

2. Respondeo secundò: quòd si tamen fundator mandavit præsentari Clericum in minoribus constitutum, vel Clericum primæ tonsuræ; tunc, si fundatio beneficii facta esset ante Trid. (quando secundum juris communis dispositionem Clericus primæ tonsuræ in septimo anno ætatis capax erat beneficii simplicis) non intraret dispositio Tridentini; cum, ut dictum, talibus fundatorum dispositionibus non derogaret; adeoque adhuc modò post Trid. præsentari posset minor 14. annis, sicut is ante illud, ex mente fundatoris, utpote conformantis se dictæ juris communis dispositioni seu permissioni præsentare poterat. *Barb. loc. cit. num. 160.* *Corrad. loc. cit. num. 24. & 25.* Si verò fundatio facta post dictum Concilium, & fundator non expressè in ea cavuit, quòd minor 14. annis præsentari possit, sed tantum dixit: *præsentetur Clericus primæ tonsuræ;* jam talis minor præsentari nequeat; subintelligeretur enim in illa fundatoris constitutione; modò dictus Clericus habeat 14. annos requisitos à Trid. cujus dispositio tunc vigebat, & cum qua censetur fundator se voluisse conformare; cum verba debeant intelligi in terminis habilibus, & secundum dispositionem legalem, limiteturque voluntas testatoris per juris communis dispositionem, seu sit regulare, dispositionem hominis regulari in dubio cum dispositione legis, cui censetur se voluisse conformare. *Corrad. ibid. citans Casar. de Grassis de jurep. decis. 1. n. 6.* *Card. Luc. de jurep. d. 45. num. 10. & d. 70. num. 13.* Num autem sufficiat præsentandum attigisse, an verò requiratur complevisse annum 14. colligendum ex iis, quæ dicta sunt aliàs, ubi de aetate requisita ad singula beneficia. Vide *Garc. p. 7. c. 4. n. 11. & seq.*

3. Illud hic notandum, quòd si ad aetatem requisitam desit, quamvis parum, vel unus dies, vel hora, provisio facta sit nulla, eò quòd in his, quæ à jure determinata & limitata non liceat arbitrari, *Garc. loc. cit. nu. 84.* citans *Sanch. de matrim. l. 1. d. 16. num. 4.* extenditurque id ipsum expressè ad præsentationem *num. 85.* citans pro hoc *Nav. conf. 2. n. 1. de atate & qualitate.* Sufficere tamen ubi patronus præsentat absentem, quòd tempore, quo accedit nuncius cum scheda, præsentatus habeat aetatem requisitam, tenent *Rodrig. in summ. tom. 1. c. 30. num. 10.* & *Vega apud Garc. loc. cit. num. 88.* qui tamen id accipiendum ait juxta dicta à se *p. 7. c. 1. nu. 31.* hoc est, dicta à nobis *q. præced. in resp. prima.*

Questio 161. Quæ aetas requiratur in præsentando ad beneficium curatum, aut non curatum sacerdotale?

Respondeo: dum quis præsentatur ad beneficium parochiale, aut etiam ad capellaniam, quæ sacerdotalem ordinem, etiam si habitu annexum habet, requiritur, ut tempore præsentationis realiter actu sit constitutus in 25. anno ætatis, id est, quòd illum attigerit, & in genere, debet quis tempore præsentationis esse in ea aetate, quam annexus beneficio, ad quod præsentatur, Ordo requirit.

2. Etiam si de cetero jura concedant, non tantum præsentato, sed actu instituto ad parochiam annum integrum, ut interea ad sacerdotium promoveri possit; cum dictus annus non deur ad complendam dictam aetatem, sed, ut *Abb. in c. cum in cunctis. num. 20.* ut qui tempore præsentationis est legitime ætatis, quantò citius, stans tamen temporibus, se promoveri faciat. *Corrad. l. 3. c. 7. num. 3.* *Garc. p. 7. c. 1. num. 8.* juxta *Clem. ult. de atate & qualitate & cla-*

& clarum Rotæ decif. in una Firmiana jurisp. 14. Novembr. 1786. coram Orano. & Gl. in c. ei, cui, de prob. in 6. quam, ut ait Garc. fequuntur omnes, & exprefse Jo. And. num. 1. ubi ait: Licet hæc opinio non modicum rigoris habeat in eo, qui est omnino proximus ætati legitima, nimis tamen præfump-
tuofum esse, hoc assertivè dicere, & conditoris esse, non glossatoris, huic æquitati providere. Idem tenet Franch. in cit. c. ei, cui. & ex eo Lott. l. 2. q. 47. num. 18. dum ait, jus commune in hac materia usque adeo rigorem servat, ut dum ætatem in promotum exigit, non contentetur, ut is valde proximus sit ætati idoneæ, v. g. etiam si ante prima Ordinationum tempora completurus esset ætatem requisitam.

Quæstio 162. Præsentandus ad beneficium sacerdotale, an & quando debeat esse actu sacerdos?

Respondeo: sicuti, num beneficium sacerdotalem Ordinem annexum habeat, nec ne, ita num præsentatus habere debeat tempore præsentationis dictum Ordinem; an verò sufficiat habere illum habitu, seu talis sit præsentatus, ut intra annum ad presbyteriū promoveri possit, pendet ex mente seu voluntate fundatoris (vel etiam statuti, si exinde requiritur) Corrad. & Lott. paulò post citandi. Quæ mens ex verbis fundatoris est merienda & colligenda; de quo plura sub initium primæ partis. Illud hic breviter reperendum, quòd, dum verba fundationis vel statuti respiciunt actum præsentationis, v. g. diceretur: *præsentetur presbyter*; vel *præsentetur sacerdos, qui missas celebret*, præsentandus necessarîo tempore præsentationis debet esse sacerdos, & non sufficit habere ætatem requisitam ad sacerdotium. Si verò verba non respiciunt actum præsentationis, sed potius prosecutionem illius, v. g. si diceretur: *præsentetur, qui missas celebret*; vel etiam: *qui missas per se celebret*; vel, quòd obviniens beneficium missas dicat: vel, *præsentetur, qui missas celebrare teneatur*; vel si simpliciter constituat fundator, & exprimat beneficium esse sacerdotale; cum hæc omnia significant & respiciant prosecutionem ipsius præsentationis, & tempus post institutionem, non requiritur, ut sit actu presbyter; sed sufficit, ut talis sit habitu tempore præsentationis, seu habeat ætatem, ut possit promoveri tunc ad sacerdotium, hoc est, attigerit 25. annum, & intra annum fieri sacerdos; qualitas enim juxta verba intelligitur secundum statum illius. Corrad. l. 3. c. 7. num. 4. Garc. p. 7. c. 1. num. 79. & seq. Lott. l. 2. q. 47. a num. 8. Sed neque in hoc facienda est distinctio inter fundationem laici & Ecclesiastici, ita ut ex fundatione laici requiratur tunc actu sacerdotium; ex fundatione autem Ecclesiastici tunc sufficiat esse habitu presbyterum; eò quòd Ecclesiasticus censetur se voluisse conformare dispositioni juris canonici, quòd, dum simpliciter exigit Ordinem aliquem in promovendo ad beneficium, censetur contentari, quòd quis habeat talem Ordinem habitu, seu ut habeat ætatem requisitam ad talem Ordinem, eumque suscipiat, quam primum possit, ut docere videntur Gut. Lamb. Ferret. Azor. p. 2. l. 6. c. 24. q. 3. & 4. apud Garc. n. 82. & apud Lott. num. 15. Barbat. & Rota. Nam si in fundatione laici ista verba importent, quòd requiratur actu sacerdotium, idem etiam importabunt in fundatione Ecclesiastici, & econtrà; si id non impor-

tent in fundatione Ecclesiastici, etiam non importabunt in fundatione laici. Garc. loc. cit. num. 83. Lott. loc. cit. num. 16. dicens, dictam distinctionem nullo jure aut ratione fultam esse.

Quæstio 163. Præsentatio illiterati quando nam sit jure ipso irrita?

Respondeo: si quis omnino illeteratus sit, ut literas latinas nequidem legere sciat, illius, uti electio & provisio, ita etiam præsentatio ipso jure irrita est. Argumento c. ult. de temp. ord. in 6. quia ut dicitur c. illiteratos. dist. 38. *litteris carens sacris non potest esse aptus officii*. Laym. in c. cum in cunctis. de elect. §. inferiora num. 10. Si quis tamen legere & scribere sciat, licet non intelligat, ejus præsentatio, uti & facta ei aliàs collatio beneficii, videtur ipso jure esse valida: etsi, ut colligitur ex Trident. sess. 7. c. 3. & sess. 24. c. 12. rescindi debeat. Laym. ibid. num. 11. citans Nav. in c. si quando. de rescript. except. 12. num. 8. si tamen beneficium est curatum, aut Ecclesiæ Cathedralis, ad quam ita illeteratus promoveretur, ipso jure irrita est promotio, Argumento c. cum in cunctis. & c. ult. de ætat. & qualit. Laym. ibid. Porò de literatura requisita ad beneficia, vide Lott. l. 2. q. 50. & quæ p. 1. dicta sunt. item dicenda infra de collatione.

Quæstio 164. Num patronus, dum idoneus est, præsentare possit se ipsum per se, vel per alium ad beneficium sui juris patronatus?

1. **R**espondeo ad primum negativè; ita enim expresse decifum est c. per nostras. h. t. debet enim esse distinctio, ut gl. in cit. c. v. præsentare. inter præsentantem & præsentatum, sicut inter dantem & recipientem, inter baptizantem & baptizatum, Corrad. l. 4. c. 2. num. 12. Castrop. cit. p. 7. n. 2. Pirh. h. t. num. 89. Barb. juris Eccl. l. 3. c. 12. num. 193. citans quamplurimos cum communi. Proceditque idipsum etiam in beneficiis simplicibus; tametsi enim in cit. c. per nostras. sermo sit de personatu; eadem tamen ratio, in qua fundatur decifio dicti cap. ne scilicet Clerici seipfos præsentantes incidant in vitium ambitionis, etiam locum habet in beneficiis simplicibus. Jo. And. in cit. c. num. 3. Abb. n. 2. Barb. num. 7. quos citant & sequuntur Corrad. num. 16. Pirh. num. 90.

2. Poterit nihilominus patronus, quando jam esset præsentatus ab alio compatrono (posse enim patronos, dum plures sunt, unum ex se ipsis nominare seu præsentare, Argumento c. congregato. 16. q. ult. & c. quia propter. & c. ne pro defectu. de elect. ubi permittitur electoribus unum ex se deligere, tradit Castrop. cit. p. 7. n. 3. citatque gl. in c. constituit. h. t. Lamb. l. 2. p. 19. & 20. Ricc. in pr. resol. 174. num. 3. Azor. p. 2. l. 6. c. 24. q. 3. Tusch. lit. P. concl. 595. Barb.) præsentationi jam de se factæ consentire (quia tum se non ingessit, neque ambitiosus reputabitur, sed magis vocatus ab aliis) non quidem dicendo: *præsentatio me ipsam*; sed *consensio præsentationi de me factæ*: ac proinde debet precedere aliorum patronorum de eò facta præsentatio, & ei de hac constare, uti ei constaret, dum præsentatio facta fuit palam per vota aperta; non autem, quòd illa fiat eodem tempore; si enim is unà cum aliis, absque eo, quòd scire poterat, se ab aliis præsentatum (ut fieret, dum præsentatio facta per viam secreti scrutinii) adhuc nulla foret præsentatio, & juxta decif. Rotæ in Pergam. Castellania coram Burar. to decif. 316. num. 2. locus esset dispositioni c. per nostras;

nostras; adeoque ut ambitiosus repellendus. Corrad. à num. 14. Atque hic patroni consensus habetur pro una voce, & facit numerum, illumque auget, ita ut, si vota sint æqualiter divisa in duos; quia nimirum una pars accessit ad compatronum, & alia ad alium, consensus ille patroni augebit numerum presentantium illum, adeoque illius presentatio debet prevalere, & is institui. Quinimò si processum in dicta nominatione per scrutinium privatum, posset, publicato scrutinio, visâ presentatione de se factâ à medietate patronorum recedere ab eo, cui suum in scrutinio suffragium dederat, & suâ presentationi consentiendo, augere numerum, & constituere majorem partem. Secus autem foret, si per hunc accessum suum tantum constitueret paritatem votorum; censeretur enim tunc adhuc ambitiosus, consentiendo presentationi suâ. Corrad. num. 16. citans Lamb. p. 1. l. 2. a. d. q. 8. n. 2. & 3. ubi etiam: quòd hæc sicut in electione, ita etiam in presentatione, & quidem à fortiori locum habeant, utpote quæ jus tam forte non tribuit presentato, quàm electio electo. Porro ubi non apparet, an ille patronus seipsum cum aliis principaliter presentaret, an verò potius accesserit consentiendo presentationi de se factâ, præsumi debere, fecisse illum istum actum eo modo, quo melius & utilius sibi de jure permittebatur, adeoque censendum, illum in sui presentationem conspirasse, non principaliter, sed per viam accessionis; dicta enim interpretatio & præsumptio, cum tendat ad validandum, non autem ad destr uendum actum, tenenda est; Corrad. cit. n. 16. citans decif. Rota 285. n. 4. p. 2. divers. & cit. supr. à in una Pergam.

3. Poterit etiam patronus clericus, dum unicus est, seu non habet compatronos, & habilis ad illud beneficium, recurrere ad sedem apostolicam, ab eaque obtinere tale beneficium cum narrativa, quòd patronus sit unicus, & beneficium juris patronatus laicalis. Et sic servari in praxi, ait Corrad. cit. n. 21. Additque n. 22. talem collationem habere vim institutionis absque alia presentatione.

4. Quin & poterit talis patronus unicus, dum pauper est, obtinere idem beneficium, dum simplex est, & non curatum, ab Ordinario per viam deprecationis & supplicationis Ordinario faciendâ; porrigendo nimirum ei libellum supplicem, ut atque à vacatione talis beneficii de suo jure patronatus, cum sit unicus, & hinc ab alio compatrono presentari, prout alias requiritur, nequeat, nec habeat, unde commodè sustentari possit, dignetur sibi dictum beneficium sine præjudicio sui juris patronatus conferre, seu in dicto beneficio instituere. Poteritque ad has preces Ordinarius ei gratificando eundem admittere, & in illo beneficio instituere; cum jam non obstat ratio ambitionis, quæ omnino excluditur à necessitate, & in casu dicta necessitatis seu egestatis locum non haberet dictum illud; quòd nemò à se ipso oriri possit. Cùmque patrono laico egeno debeantur ab Ecclesia alimenta, hæc ratione per collationem talis beneficii optimè succurratur huic alimentorum necessitati, cui alias aliunde succurrere deberet Ecclesia, Corrad. cit. num. 21. citans Abb. in c. per nostras. Lamb. p. 1. l. 2. q. 1. & Rot. Pirh. n. 91. Barb. juris Eccl. 3. c. 12. n. 199. citans plures alios, & non faciens mentionem paupertatis aut beneficii curati.

5. Limitat tamen hoc ipsum ulterius Card. de Luc. d. 45. de jure patr. n. 8. dicendo id rectè procedere, dum alterius præjudicium non concurrat, quali-

ter id concurreret, dum adessent alii habentes jus passivum ad hoc, ut ipsi presentari deberent. Addit tamen, quòd licet de stricto juris rigore id ita sit, nimirum tamen in contrarium urgere aequitatem ac humanam rationem, ob quam probabilius videatur, etiam tunc hujusmodi preces admittendas esse: citat seipsum pro hoc d. 31. de jure patr.

6. Respondeo ad secundum etiam Negative; non posse patronum per alium à se delegatum, siue cui pro ea vice potestatem presentandi commisit, presentari; seu etiam procuratorem constitutum à patrono ad presentandum non posse virtute dicti mandati presentare ipsum patronum, Castrop. & Pirh. l. cit. citantes Paris. de resig. l. 6. vel ut Pirh. l. 9. q. 17. n. 113. Corrad. n. 17. dicens contrarium, quòd tenet Riccius in pr. fori Eccl. decif. 197. n. 216. nullo modo subsistere, quia esse contra innumeras Rota decisiones, & omnium DD. opiniones in cit. c. per nostras, & in c. fin. de instit. Nec praxis illud unquam admiserit: ratio est, quòd patronus sic saltem virtualiter presentaret seipsum, ut Castrop. quia delegatus & procurator quidquid agat quæ talis, non suo, sed sui principalis nomine agit, cujus vices gerit. Pirh. loc. cit. adeoque idem esset, ac si presentatio facta ab ipso patrono, qui hæc ratione ambitionis notam non evitat. Corrad. n. 18.

7. Nihilominus si patronus alteri potestatem presentandi legitime concessisset, & totaliter in eum transfuisset, ita ut se omnino abdicaverit eâ potestate, & alter possit saltem pro ea vice nomine proprio presentare, posse tunc ab eo adhuc presentari illum, qui hoc jus in alterum transfuisset, ait Pirh. loc. cit. citans Jo. And. in c. ex insinuatione. h. t. n. 3.

8. Quin & dum plures essent patroni, qui unanimiter constituissent unum procuratorem ad presentandum omnium nomine, posse adhuc per dictum procuratorem presentari unum ex dictis patronis; eò quòd, cum dictus procurator non presentet solum nomine illius, quem presentavit, sed nomine omnium, possit presentatus acceptare presentationem de se factam nomine aliorum, non suo, absque eo, quòd notam ambitionis incurrat; sitque hæc ratione ad huc sufficiens distinctio inter presentantem & presentatum, tradit Corrad. n. 21. juxta cit. decif. Rota 185. p. 2. divers.

9. Denique, dum is, ad quem spectat institutio, motu proprio vocat patronum clericum, eique ultro eè beneficium juris patronatus ipsius vacans confert (quòd duplici modo contingere possit, ut Pirh. n. 91. Si nimirum patronus pro ea vice liberè renunciet juri suo presentandi, & institutor absolute sine ullo pacto precedente beneficium patrono conferat; vel si institutor absque tali pravicia patroni renunciatione beneficium patrono conferre velit, isque consentiat) valida & licita erit institutio, vel potius collatio; quia facta ex consensu patroni; non tamen ex ejus presentatione, qui etiam hæc ratione censetur non tam se ingerere, quàm ab Ordinario vocari, cui vocationi consentire potest, ne alias patronus sit durioris conditionis, quàm alii clerici. Pirh. cit. n. 21. Cess. l. 2. c. 34. n. 28. Castrop. loc. cit. n. 2. citans Abb. in c. per nostras. num. 3. Barb. p. 3. de post. Ep. alleg. 72. n. 88. Valsq. opusc. de benef. l. 2. c. 1. §. 1. du. 4.

Questio 165. An procurator aut alius à patrono substitutus possit seipsum presentare?

Respondeo Negative: non enim beneficium à propria cujusque voluntate originem habere debet; quia esset locus ambitioni. Gonz. ad reg. 8. gl. 2. n. 27.

2. n. 27. Castrop. loc. cit. p. 7. n. 2. citans c. *didicimus*, 24. q. 1. Lamb. l. 2. p. 1. q. 8. a. 9. & 10. Barb. p. 3. de post. Ep. alleg. 72. n. 88. & seq.

Quæstio 166. An patronus possit præsentare filium suum?

Respondeo affirmativè: nullibi enim talis præsentatio prohibetur; cum pater & filius sint personæ distinctæ, & licet quandoque in jure pro eadem persona usurpentur, ut *l. fin. c. de impub. & aliis substit. c. contradicimus*, 35. q. 3. hujusmodi tamen fictio juris, quæ reputantur una persona, in spiritualibus, & nominatim in electione & præsentatione, non attenditur. Abb. in c. *consuluit*, h. r. Barb. p. 3. de post. Ep. alleg. 72. num. 94. Azor. p. 2. l. 6. c. 21. q. 2. quos citat & sequitur Castrop. Corrad. l. 4. c. 2. n. 20. citans Paul. de Citad. r. de jure patr. q. 11. n. 95. Similiter avus præsentare potest nepotem, seu alios consanguineos. Corrad. *ibid.* gl. in cit. c. *consuluit*. Vivian. l. 6. c. 6. n. 23.

Quæstio 167. an donatarius præsentare possit donantem jus patronatus?

Respondeo posse: modò donatio hæc juris patronatus careat omni vitio suspitionis & fraudis. Proinde debet esse non tantum libera totius juris patronatus cum consensu Episcopi facta donatio, ut Paul. de Citad. ex Jo. And. in c. *ex insinuatione*, h. r. Sed debet insuper esse ita absoluta & perpetua, ut omne jus, quod donans in illo jure patr. habet, ab ipso plenè ac perpetuò translatur, ac penitus & in totum abdicatum esse censetur, ita ut nullum jus, sive cumulativè, sive privativè donanti reservatum censetur (adeoque id ipsum exprimi debet, quòd privativè donetur, cum ut dictum aliàs, si patronus donet jus patr. simpliciter, id intelligatur cumulativè, nò privativè) ut proinde donatarius sit effectus, & privativè (intellige respectu donantis) patronus, & proprio nomine præsentare possit, non pro unica vice tantum (tunc enim præsentare non poterit

donatorem, quia hoc modo non erit vera donatio) sed pro quavis vice, seu quoties beneficium vacarit. Corrad. loc. cit. num. 24. ubi insuper requirit, ut hæc donatio juris patr. facta sit, antequam Ecclesia patronata vacet, nec ad sit suspicio vacationis, Et licet hæc donatio fieret per patronum, postquam beneficium vacavit, vel cum instaret tempus vacationis, essetque facta donatio expressè vel implicite ad effectum, ut donans præsentetur à donatario, nullatenus subsisteret, foretque pactum & conditio fraudulenta & Simoniaca juxta Corrad. *ibid.* ubi citat pro hoc c. *fin. de præb. in 6.* Lamb. & c.

Quæstio 168. An præsentatus invalide ob crimen, emendatus dein, possit præsentari denuo?

Respondeo: videri posse, quæ in simili dicta sunt de electione, quæ etiam in præsentatione habere locum videntur, & sic expressè docet Abb. in c. *super eo. de elect. n. 4.* apud Laym. in *idem c. n. 2.* extendendum etiam ad præsentationem & collationem, quod communiter docent AA; quòd repulsus semel ob crimen eligendus aut promovendus non sit; hoc ipsum tamen, quia nullo textu juris vetatur, dum crimen plenè emendatum & sublatur supponitur. Laym. loc. cit. non nisi sub hac limitatione recipit; quòd talis repulsus non sit denuo promovendus, nisi superioris dispensatio, præmissâ cognitione de præsentate habilitate personæ, accedat; cujus hanc reddit rationem, quòd negari non possit per ejusmodi repulsam, renunciationem, depositionem personæ, affirmationem non parum gravari, ut nova promotio non ita facilè sit admittenda, sicut etiam quis ob crimen commissum circa ipsam electionem, præcipuè simoniam, redditur denuo ineligibilis; donec cum eo dispensetur, argumento c. *quisquis. de elect.* Laym. loc. cit. vide de his plura in 1. parte, ubi de personis, quibus conferenda beneficia, uti etiam de vitiatis corpore, infamibus, censurâ notatis, bigamis, & c.

CAPUT TERTIUM. DE INSTITUTIONE.

PARAGRAPHVS I.

De habente instituere.

Quæstio 169. An, & qualiter Episcopo competat jus instituendi præsentatos à patronis?

Respondeo primò: competere jure communi Episcopo omnes præsentatos à patronis ad quacunque beneficia suæ diocesis instituere. c. *ex frequentibus. de institur.* Abb. *ibid.* n. 2. Azor. p. 2. l. 6. c. 22. q. 2. Pirh. ad r. de institur. n. 1. cum communi. Competitque hoc jus Episcopo etiam nondum consecrator; quia non spectat ad ordinem, & institutio non est actus

Ordinis, Bassa. To. 2. v. *beneficium* §. 5. n. 13. cum communi. Et sicut mox ab electione confirmata conferre potest beneficia juxta c. *nostri. de elect.* ita multò magis in iis instituere, utpote quod minus est. Lott. l. 2. q. 2. n. 9. comperitque hæc potestas instituendi, uti & confirmandi jure magistratûs, reputatû que inter jurisdictionalia tanquam fructus jurisdictionis. Lott. *ibid.* num. 17. citans Bellam. *cons.* 20. num. 13. Gamb. *de off. leg.* l. 3. n. 222. Secus ac contingit in potestate conferendi; hanc enim nullâ ratione cõpetere Episcopo ratione magistratûs, seu spectare ad eus jurisdictionem, ait Lott. n. 5. Sed esse potestatis accidentalis cujusdam, eodem nihilominus tempore concessæ, quo conceduntur seu imprimuntur ei jurisdictionalia; nimirum ex speciali concessione legis, Can. *omnes Basilicæ.* 16. q. 7. Lott. n. 12. ex Butrio *cons.* 19. num. 20. citante seipsum l. 1. q. 21. non enim omnia, quæ competunt magistratui alicui, competunt